MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80165-3

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

SIPKEMA, PETRUS ADRIANUS

TITLE:

QUESTIONES TERENTIANAE.

PLACE:

AMSTELODAMI

DATE:

1901

Master Negative #

91-80165-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87T27
ES5

Sipkema, Petrus Adrianus.
Questiones Terentianae. Amstelodami, apud J. H. de Bussy, 1901.
114 p.

Thesis, Amsterdam.
Bibliography: p. 5-7.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 1/x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/19/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



no 2

QUAESTIONES TERENTIANAE.

40 2

QUAESTIONES TERENTIANAE.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI P. K. PEL, MED. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF. ORD. AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO, PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET PETRUS ADRIANUS SIPKEMA, NATUS MENSINGEWERI, DIE XX MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCCI, HORA III † † † † † † † † † † † †† † † † † † † †

AMSTELODAMI,
APUD J. H. DE BUSSY.
MDCCCCI.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

INDEX.

Pag.

PRAEFATIO. 1

DE ADELPHIS.

CAPUT I. DE LOCO E DIPHILI FABULA DESUMPTO IN ACTU II. 8

CAPUT II. DE DISCREPANTIA INTER EXORDIUM FABULAE TERENTIANUM ET MENANDREUM 25

CAPUT III. DE HEGIONE. 33

CAPUT IV. DE FABULAE OECONOMIA INDE A IV. 5 USQUE AD V. 7 40

CAPUT V. DE DEMEAE MUTATIS MORIBUS 50

CAPUT VI. DE MICIONIS NUPTIIS. 58

CAPUT VII. DE FRAGMENTIS GRAECIS AD ADELPHOS REFERENDIS 63

DE ANDRIA.

CAPUT I. DE MUTATIONIBUS FACTIS IN I. 1. 71

CAPUT II. DE CHARINI BYRRIAEQUE PARTIBUS ALIUNDE INSERTIS 81

CAPUT III. DE ANDRIAE EXITU ALTERO ET TERTIO . . . 98

CAPUT IV. DE FRAGMENTIS GRAECIS AD ANDRIAM REFERENDIS 103

DE OECONOMIAE VITIIS QUIBUSDAM IN ADELPHIS ET ANDRIA. 109

APPENDIX. 115

Hunc libellum facultatis iudicio permittens libenter occasione utor publice profitendi quantum debeam viris clarissimis Naber, Valeton, Kuiper, van den Es, Uhlenbeck, Six, qui studia mea foverunt institutione publica vel consiliis, in quorum coetu nunc aegre desidero v. cl. Spruyt, iam acerba morte patriae et discipulis ereptum.

Tibi vero, clarissime Karsten, Promotor aestumatissime, prae ceteris gratias ago pro comitate et humanitate, qua mihi in hoc opusculo elaborando monens adhortansque adfuisti.

PRAEFATIO.

Comicorum latinorum opera digna sunt ipsa per se propter sermonis puritatem et argumenti artificiosam tractationem, quorum studio multam operam impendas, sed insuper pretiosissima sunt, quod graeca comoedia nova unice per illa cognoscitur. Sive vero quis notionem animo sibi informare vult de poetarum latinorum praestantia sive de graecorum, necesse est, ut prius accurate indaget atque discernat, quae profecta sint a poeta graeco quaeve debeantur poetae latino. Quocirca duas Terentii fabulas mihi sumpsi, Adelphos et Andriam, in quibus quaererem, quomodo auctor latinus exemplar suum tractasset, minutias, quae primo obtutu futiles videri possent, non dedignatus.

Poeta autem latinus ita in sermonem patrium vertere poterat fabulam graecam, ut oeconomia et compositione universe servata pro sententiis, proverbiis, locutionibus vitam graecam unice sapientibus, latina substitueret, nonnumquam ita, ut soliloquiis longis personam colloquentem insereret, ne iusto ampliores sermones spectatorum taedium moverent. [1])

Illa ratione Luscius Lanuvinus amicique usi esse videntur, siquidem Terentius in Andriae prologo v. 19—21 in eorum „obscuram diligentiam" invehitur. Vide ibidem:

Qui quom hunc accusant, Naevium Plautum Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet,
Quorum aemulari exoptat neglegentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.

[1]) Cf. Don. ad Eun. II 2. 23. III 4. 1. ad Andr. I 1. 27.

Erant tamen qui paullo liberius exemplaria gr. tractarent atque horum partibus se addixisse Terentium, manifesto apparet e versibus modo adlatis. Quando enim fabulae graecae argumentum nimis ieiunum atque exile videbatur, huic vitio obviam ibant inserendo partes, e fabula alia graeca petitas. Hunc morem, qui contaminandi verbo significatur, induxit Naevius, imitati sunt Plautus, Ennius, Terentius.

Res est tanti ponderis ad disquisitionem meam, ut usui futurum sit data opera inquirere in contaminandi derivationem atque sensum.

Quod ad etymon adtinet. constat hodie *contaminare* habere radicem *„tag"*, quae cernitur in *tangere, contagio.* Itaque originem vocis si consideras, primaria significatio esse debet: *facere ut una res alteram tangat, coniungere, miscere.* Videamus iam, utrum Terentius primaria antiquaque significatione utatur, an quae postea usitata fuit, polluendi nempe. Ter usurpat: in Andriae prol. v. 15—16. „Id isti vituperant factum atque in eo disputant contaminari non decere fabulas", in Heaut. prol. v. 16—19. „Nam quod rumores distulerunt malivoli, Multas contaminasse Graecas, dum facit Paucas Latinas: factum id esse hic non negat, Neque se pigere et deinde facturum autumat.", in Eun. III 5, 3. „Nunc est profecto, interfici quom perpeti me possum, Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua".

Ex his locis imprimis in censum veniunt Heaut. vss. Apparet ibi luculenter *contaminasse* idem esse atque *miscuisse,* siquidem multis graecis, quas in usum suum convertit Terentius, opponuntur paucae latinae, quas inde composuit. *Polluendi* vero significatio huic loco minime apta est. Videmus enim Terentium factum non modo non dissimulare, sed eo gloriari paene; at si contaminatio in malam partem acciperetur, profecto negasset se umquam illa usum esse. Andriae locus anceps est, sed Eunuchi versus miscendi sensum tantum admittit. Itaque, quatenus ex his locis effici potest,

Terentius miscendi significatione semper utitur hoc verbo. [1])

Ne cui mirum videatur apud Terentium contaminandi verbum usurpari significatione a vulgata diversa, respicere iubeo Ciceronis locum in Orat. pro domo § 36, unde efficias significationem illam minus usitatam ne illius quidem aetate exolevisse.

„Tu neque Fonteius es qui esse debebas neque patris heres neque amissis sacris paternis in haec adoptiva venisti. Ita perturbatis sacris, *contaminatis* gentibus et quam *deseruisti* et quam *polluisti* iure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto, factus es eius filius contra fas cuius per aetatem pater esse potuisti".

In Wolfii editione *Gesnerus* ad hunc locum docte usum verbi illustrat, cuius adnotationem libet describere. „Virum doctum, Marklandum sc., apparet oblitum fuisse contaminandi verbum latius interdum patere et contaminari fabulas dici in Ter. prol. quum ex pluribus Graecis una fiat Latina. Nempe a tangendo et contingendo dictum est contaminare ut contagio et miscelam significat primo, tum miscelam talem, qua aliquid corrumpitur vel polluitur. Contaminantur, permiscentur, perturbantur adeo adoptione gentes, ut v. g. Scipio Africanus sit quodammodo duarum gentium, Aemiliae, in qua natus est et Corneliae, in quam adoptione transit. Sic contaminandi verbum in connubiorum materia utitur Livius IV. 2. — Clodius ergo hac adoptione contaminat, miscet, perturbat utramque gentem in quam aliud et novum nomen

[1]) Donatus in errorem inductus est usu huius verbi, qui vulgo apud Ciceronem et recentiores obtinet. Vide ad Andriae prol. v 16. „Proprie contaminare est, manibus luto plenis aliquid attingere et contaminare et contingere est et polluere. — Tangi et relinqui polluta manu ac per hoc velut foedari aut maculari, ut ipse ait: Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua. — Id est ex multis unam non decere facere".

In postrema explicatione propius ad verum accessit.

infert; polluit Fonteiam, in quam arrogatur, quae ante hanc arrogationem ab hac macula pura erat".

Haec hactenus; nunc non abs re erit argumenta commemorare quae nobis suppeditant, quando quaerimus, an aliquid mutatum sit in exemplari gr. ab auctore latino, deinde quatenus mutatio pateat.

Vix est quod dicam gravissima esse ea, quae ducuntur e *prologis;* poetae enim ipsius verba sunt, non scholiastae cuiusdam commenta. Atqui non ubique fidem merentur quae poeta in prologo spectatoribus enarrat, quia prologo in hunc finem utitur, ut inimicorum criminationes repellat, ipse vicissim eos petat. Prologus igitur causam orabat poetae. Vide Heaut. v. 10:

Oratorem esse voluit me, non prologum:
Vostrum iudicium fecit: me actorem dedit.

Plura etiam praebent scholia *Donatiana* diversae originis diversique pretii. Vir ille vixit saeculo quarto aerae nostrae atque primum grammatici, deinde oratoris Urbis Romae munere functus est. Unde non miramur subtilissimam scientiam linguae latinae, quae passim apparet.

Longe tamen abest, ut omnia, quae hodie sub Donati nomine circumferuntur, ab ipsius manu profecta sint. Sed quamquam iamdudum notum erat genuinum Donatum saepissime interpolatum esse, hisce demum annis *Sabbadinius* ita quaestionem tractavit, ut ad certum exitum perveniret. Diligentissime scholiis excussis inter seque comparatis normas regulasque posuit, quibus compluriens Donatiana ab interpolatis dignosci possunt. Cf. R. Sabbadini Gli scolii Don. p. 377 passim. Hinc profectus *J. J. Hartmannus* p. 113 invenit iuxta Donati commentarium olim extitisse commentariorum nucleos duos pluresve, e quibus viri illi hauserunt interdum qui Donatum genuinum adnotationibus suis auxerunt.

Nemo non videt quanti momenti hae disquisitiones sint si iudicandum nobis sit de fide, quam notitiae, sub Donati nomine servatae, mereantur.

Praeter diversam scholiorum originem notandum est genus loquendi, commentatoribus usitatum. Saepius enim, si quid excellit sive propter pulchritudinem sive aliam ob rem, moris est scholiastae adnotare Terentium tale quid repperisse et excogitasse. Longissime tamen a vero aberrat, qui putat ibi Terentium discessisse ab exemplari gr.; hoc tantum statuere licet, ubi Terentius et poeta graecus disertis verbis sibi invicem opponuntur. Vide *H. T. Karstenum.* Comm. p. 205 sqq.

Insuper tenendum est in fabulis contaminatis scholiastam vel eius fontem tantum inspexisse exemplar primarium. Vide *Ihnium* p. 13. „Hauserunt igitur, quae de Terentii exemplaribus graecis scholiastae narrant e vetere quodam commentario. Sed qui eum commentarium scripsit, ne ipse quidem iudicandus est in contaminatis Terentii fabulis praeter principale exemplum eam quoque contulisse fabulam, ex qua pauca tantum Terentius adsciverit. Haec neglegentia in vetere grammatico per se mihi videtur quam contraria, quae iam flagitatur, diligentia verisimilior, tum autem probatur eo, quod tantum e Menandri Andria et Eunucho et Adelphis, principalibus latinarum fabularum cognominum exemplis non item e Perinthia, Colace, Synapothnescusi fragmenta nobis a Donato servata sunt".

Reliqua scholia, tam ea, quae *Umpfenbachus* edidit in Herme vol II. p. 337 sqq, hausta e Bembino, quam quae *Fr. Schleeus* ex codicibus Terentianis aliis collegit, nihil habent, quod usui cuidam mihi esse possit in hac disquisitione.

Denique argumenta a quibusdam ducuntur ex *oeconomiae vitiis,* ut ostendant Terentium aliquid omisisse aut aliena inseruisse. Haec vero ratio incertissima ac valde lubrica est. Num extat fabula, quae repugnantiis careat? Quomodo distinguere valemus ea, quae iam primitus parum recte instituta erant ab iis, quae turbata sunt a poeta latino?

Commemoratis argumentorum locis huic parti finem imponam breviter notando scripta, quibus usus sum.

G. E. Lessing. Hamburgische Dramaturgie.

W. H. Grauert. Historische und philologische Analekten. Münster 1833.

W. Ihne. Quaestiones Terentianae. [De Andria, Eun., Ad.] Bonnae 1843.

Koenighoff. De ratione, quam Terentius in fabulis gr. latine vertendis secutus est. Coloniae 1843.

W. Fielitz. Ueber Anfang und Ende der Menandrischen Adelphen. Fleckeis. Ann. vol. 97. 1868.

W. S. Teuffel. Studien und Charakteristiken. [Andria, Eun., Ad.] Leipzig 1871.

K. Dziatzko. Die Andria des Menander. Museum Rhenanum. Vol. 31, 1876.

Id. Ueber einige Komikerfragmente. Museum Rhenanum. Vol. 31, 1876.

Id. Der alter exitus der Andria. Fleckeis. Ann. Vol. 113 a 1876.

C. M. Francken. De Poenuli Plautinae compositione. Mnemosyne, IV, 1876.

K. Braun. Quaestiones Terentianae. [Andria, Eun.] Goettingae, 1877.

F. Kampe. Die Lustspiele des Terentius und ihre griechischen Originale. [And., Eun., Heaut.] Halberstadt 1884.

G. Regel. Terenz im Verhältniss zu seinen Griechischen Originalen. [And., Ad., Eun.] Wetzlar 1884.

J. Klasen. Quam rationem Terentius in contaminatis fabulis componendis secutus esse videatur. I Ad. Rheine 1884.

A. Greifeld. De Andriae Terentianae gemino exitu, Halis 1886.

F. Falbrecht. De tertio Andriae exitu, 1893. Diss. phil. Vindob. IV.

F. Nencini. De Terentio eiusque fontibus. Liburni 1891.

Nencinius, raro disputandi acumine insignis, mentis aciem in prima lectione tibi ita praestringit, ut de conclusionum veritate nusquam fere dubites, sed repetita cogitatio mihi saltem in plerisque contrarium habuit eventum. Hoc tamen

ei debemus, quod nos sollicitat ad accuratissimam rerum inquisitionem.

De prologis adhibui librum utilissimum Fabiae.

Ph. Fabia. Les prologues de Térence. Paris etc. 1888.

Denique contuli de Donato:

R. Sabbadini. Gli scolii Donatiani ai due primi atti dell' Eunuco di Terenzio. Firenze. 1894. Studi italiani de Filologia classica. Vol. III.

J. J. Hartman. De Terentio et Donato commentatio. Lugduni Batavorum 1895.

H. T. Karsten. De scholiis quibusdam Donati ad Terentium. Lugduni Batavorum 1901. Commentationes in honorem J. C. G. Bootii. [1])

[1]) Quae a R. Cauero de Ter. Adelphis disputata sunt in Wiener Studien XXIII 1, mihi demum innotuerunt, cum libellus meus prelo iam commissus esset. In plerisque assentientem habeo, in capite vero tertio cum Regelio facit.

DE ADELPHIS.

Caput 1.

De loco e Diphili fabula desumpto in actu II. [1])

Narrat poeta in prologo haec: v. 6—11.

> Synapothnescontes *Diphili* comoediast:
> Eam *Commorientes* Plautus fecit fabulam.
> In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
> Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
> Reliquit integrum. eum hic locum sumpsit sibi
> In *Adelphos*, verbum de verbo expressum extulit.

Quaestio hic oritur, quam late pateant Diphilea, utrum totus actus secundus an una vel altera tantummodo scena vel pars scenae huic poetae tribuenda sit. Totum actum secundum ad eum referri non posse quivis fatebitur, qui respexit *Donati* Scholium ad II. 4. 11 (v. 275.), ubi Menander diserte auctor nominatur:

> Ah! stultitiast istaec non pudor; tam ob parvolam
> Rem paene e patria!

„Menander mori illum voluisse fingit, Terentius fugere".

Apparet hunc saltem locum sumptum esse a Menandro. Nemo autem facile probaverit Petri Nannii suspicionem, cui perperam assensus est *Lessingius*, pro „Menander" restituendum esse „Diphilus". Cf. Sylloge V, Misc. c. 10. „Videat quaeso

[1]) Satius duxi prius quaerere de finibus, quibus coercenda sit pars a Terentio e Diphilo sumpta in actu secundo, quam de discrepantia, quae secundum Varronem intercesserit inter Menandrum et Nostrum in fabulae exordio, hoc est in actu primo. Haec enim quaestio pendet ex illa neque dirimi potest, antequam ad exitum perducta sit investigatio de actu secundo.

„accuratus lector, num pro Menandro legendum sit Diphilus. „Certe vel tota comoedia vel pars istius fragmenti, quod hic „tractatur, ad verbum e Diphilo translata est. Ita cum „Diphili comoedia a commoriendo nomen habeat et ibi dicatur „adolescens *mori* voluisse, quod Terentius in *fugere* mutavit, „omnino adducor, eam imitationem a Diphilo, non a Menandro „mutatam esse et ex eo commoriendi cum puella studio „συναποθνήσκοντες nomen fabulae inditum esse".

Repugnant poetae verba in v 11 prologi, quibus indicat se nihil mutasse in Diphileis, cum Nannii coniectura recepta contrarium statuendum sit.

Alterum scholium Donatianum est ad II. 1. 45 (v 199), quod primo obtutu ostendere videtur hunc quoque locum Menandro, non Diphilo deberi. Tam lacera vero eius condicio est, ut nihil tuto inde effici possit, cf p. 66.

Unica res, qua nitimur in hac disquisitione, est, quod scena 4 Menandro debetur. Ut ad certum igitur atque probabilem conclusionem perveniamus, hoc nobis tenendum est, illa, quae in II 2 et 3 artissimo vinculo cum scena 4 atque cum universo fabulae argumento coniuncta sint, Menandro tribuenda esse; nam parum probabile est Diphili atque Menandri fabulas ita similes fuisse, ut parvi referret unde poeta latinus sua mutuaretur: Terentius certe non omisisset similitudinem notare, ut in Andriae prologo fecit.[1])

Iam videamus, utrum in scenis 2 et 3 comparatis cum 4 insint, quae internum earum connexum ostendant.

In 4. 1. sqq. haec leguntur:

Ae. Ubist ille sacrilegus? Sa. Me quaerit. num quid nam ecfert? occidi:
Nil video. Ae. Ehem opportune: te ipsum quaero: quid fit, Ctesipho?

[1]) Commorientium argumentum omnino ignoramus fragmento graeco nullo suppeditante, latino unico: Priscianus I. 280 „Saliam in puteum praecipes".

In tutost omnis res: omitte vero tristitiem tuam.
Ct. Ego illam hercle vero omitto, qui quidem te habeam fratrem, o mi Aeschine,
O mi germane: ah vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id adsentandi magis quam quo habeam gratum facere existumes.

E versu primo apparet lenonem antea in proscenio adfuisse atque egisse de pecunia pro psaltria accipienda: nam id indicant verba Sannionis: „num quid nam effert?" Sperat Aeschinum iam adportare argentum, quod Syrus datum iri promiserat 2.34:

Sy. Minas decem conradet alicunde.

Notandum etiam est, quam apta sint verba illa Aeschini: „Ubist ille sacrilegus?" iamiam expectantis Syrum, qui ei renuntiaturus sit, Sannionem manus dedisse atque pactionibus suis accessisse.

Alterum argumentum, cohaerere scenam 2 et 4, situm est in 4. 14.

Sy. Eamus: namque hic properat in Cyprum.

Quae verba intelligi non possent, nisi praeivissent in eadem fabula ea quae copiose narrantur 2. 16 sqq.

Sy. Praeterea autem te aiunt proficisci Cyprum, e. q. s.

Non minoris momenti sunt ea, quae ostendunt scenam 3 item artissime connexam esse cum 4. Primum in proscenio iam aderat Ctesipho initio scenae 3, nam si tum demum advenisset, nomen actoris ignoti poeta cum spectatoribus communicasset. Porro Aeschini verba „Ehem opportune: te ipsum quaero" respondent iis, quae loquitur Ctesipho II. 3. 7:

O Syre, Aeschinus ubist? Sy. Ellum, te expectat domi.

Deinde, quae dicit Aeschinus fratri 4. 3, subobscura sunt, nisi auditores iam compererint ea, quae narraverat Ctesipho 3.8 sqq. „Illius (fratris) opera, Syre, nunc vivo: festivom caput, Qui ignominias sibi post putavit esse prae meo commodo, Maledicta, famam, meum laborem, et peccatum in se transtulit".

Denique scena 2 iungitur cum 3 versu 44 sqq.

Sy. Sed Ctesiphonem video: laetus est
De amica. Sa. Quid quod te oro? Sy. Paulisper mane,

quibus Ctesiphonis adventus indicatur simulque ostenditur lenonem per scenam tertiam in proscenio remanere.

Ex iis, quae supra disputavi, spero evidens futurum esse scenas 2, 3, 4 tam arte inter se coniunctas esse, ut nulla rima insit aut quicquam hiet atque rerum processus, quas continent, uno tenore progrediatur; cum autem 4 sine dubio Menandrea sit, etiam ceterae esse debent.

Scenam igitur 1 Diphilo relinquendam esse censeo, cui opinioni verba etiam ipsa poetae in prologo favent. Secundum haec Terentius id ex Diphilo inseruit, quod Plautus in tota Diphili comoedia transferenda omiserat, i. e. scenam aliquam argumenti generalis et non uni tantum fabulae, sed pluribus idoneam. Talis scena est ipsa raptio alicuius virginis ex domo lenonis, qualis in 1 ante oculos proponitur, nihil amplius. Reliqua omnia, quae sunt in actu II, nimis arte coniuncta sunt cum personis et argumento Adelphorum, quam ut haec quoque in Diphili fabula fuisse probabile sit; tum enim sumendum esset hanc fabulam Adelphis satis similem fuisse neque fieri potuerat, ut Plautus totum eius actum praetermisisset. Omisit igitur Plautus qualicumque de causa scenam motoriam, supervacaneam, quam Terentius reprehendit.

Sunt autem, ut postea videbimus p. 22 sqq, qui *postremam partem scenae 1*, lenonis soliloquium, ad Menandri fabulam revocandam esse ducant. Mea sententia vix certo dirimi potest, utrum Menander an Diphilus auctor eius fuerit. Huic ut tribuas, adduci possis eo, quod nihil in his versibus ad universum fabulae argumentum pertineat; nam revera nihil invenitur in hac parte quod obscurum sit, nisi reliquam fabulam noveris. Porro v. 46:

„Ob malefacta haec tantidem emptam postulat sibi tradier" accuratissime respondet v. 37

Ae.
M. Minis viginti tu illam emisti (quae res tibi vortat male!):
Argenti tantum dabitur.

Denique apertum est, quantopere apta sint ea, quae leno secum loquitur inde a v. 48, post Aeschini mandatum v. 42.

Contra, quia scena 2 optime excipit lenonis soliloquium, locus ille Menandro adtribui potest. Tunc vero statuendum est Terentium nonnihil discessisse ab exemplari graeco. Ut postea videbimus, apud Menandrum leno plura cum spectatoribus communicabat de Aeschini reditu aliisque rebus, at nemo non videt mirum fuisse, si Sannio, cum illa narrasset, in hanc querelam prorumperet. Si igitur Menandrum potiorem auctorem ducas, v. 42-45 poetae latino tribuendi sunt, qui eos praefixit versibus 46—54, soliloquio longiori, quod legebatur in Adelphis graecis.

Equidem in eam sententiam inclino, ut Diphileam hanc partem esse iudicem. Etenim, ut nunc se habet, a Diphilo profecta esse potest, nequaquam vero a Menandro, nisi quibusdam rebus mutatis. Quaestio tamen vix dirimi potest, ut supra dixi; nam, cum apud utrumque poetam lenonis condicio eadem esset et tam apud Diphilum quam apud Menandrum hoc unum restaret Sannioni, ut quam plurimum pecuniae pro ancilla erepta adolescenti extorqueret, verisimile est querelam et in Commorientibus et in Adelphis perquam similem fuisse.

Postquam investigavi, quae a Diphilo mutuatus sit poeta latinus, non abs re erit persequi, an interpolationis vestigia etiam alia inveniantur, quae confirment, quod supra posui.

Animadvertit autem *Dziatzko* Praef. Ad. p. 11. Parmenonis, qui in II. 1 partes primarias agit, in sequentibus nullas esse, unde effecit poetam latinum parum sibi constitisse, cum in actu II Parmenonem consiliatorem daret iuveni, sed postea Syrum. „Es widerspricht, inquit, der Praxis unserer Lustspielgattung, einem jungen Herrn zwei Sklaven so gleichen Gepräges, wie Parmeno und Syrus sind, beizugeben". Nequaquam mihi in animo est negare, hanc observationem in universum aestimanti veram esse, sed ostendere debuit v. d. ad nostram fabulam eam pertinere, quod minime necessarium est. Etenim optime fieri potuit, ut Parmeno servus fuerit fortis, pugnis amatoriis perquam aptus nec tamen ingenii facultatibus praestans, ut Syrus. Nihil obstat, quominus credamus, eum a Syro raptionis officio destinatum fuisse, quia sciebat illum fortiter adversarios repulsurum. Hoc argumentum mihi contra Dziatzkonem efficacius videtur, quam quo usus est Nencini p. 121. „Etiam in Plauti Asinaria Libanus et Leonidas unius erilis „filii sunt servi, Argyrippi, eiusque pariter in amore adiutores".

Aliud contaminationis vestigium repperisse sibi visus est idem v. d. in II 1, 39—41.

Ae. Neque vendundam censeo,
Quae liberast; nam ego liberali illam adsero causa manu.
Nunc vide utrum vis: argentum accipere an causam meditari tuam.

In Mus. Rhen. Vol. XXXI a 1876 p. 375 de versibus illis haec leguntur: „Eine solche Drohung ist nach dem Inhalt der Adelphoe durchaus nicht am Platze. Bacchis ist hier eine einfache meretrix, nicht eine freigeborene athenische Bürgerin. Als letztere konnte sie wohl durch Umstände der Gefahr nahekommen, zur blossen meretrix zu werden; die höhere Gerechtigkeit verlangte aber nach der feststehenden Praxis des griechischen Lustspiels ihre endliche Erkennung, Befreiung und schliesslich ein der Freigeborenen würdiges Loos. Andrerseits lässt sich nicht denken, dass Aeschinus eine Lüge ersonnen, nur um den Sannio einzuschüchtern. Das liegt nicht im Charakter jener Rolle und würde nicht ohne Erwiderung von Seiten des Sannio geblieben sein. Es ist somit nur eine, aber sehr einfache Erklärung übrig, dass nämlich in den Commorientes wirklich eine Freigeborene

— wahrscheinlich in frühester Jugend — ihrem Elternhause entfremdet, als Sclavin verkauft worden, und endlich in den Besitz eines Kupplers gelangt ist. Der Gewaltact ist gerade durch die Herkunft des Mädchens motivirt: der Kuppler musste sich scheuen gegen den Entführer eine δίκη αἰκίας oder βιαίων anhängig zu machen, da alsdann, von Anderem abgesehen, ihm eine doppelte γραφή, εἱργμοῦ und προαγωγείας, drohte. Terenz, welcher, „verbum de verbo expressum extulit", hat auch jenes Motiv übernommen, das für die Adelphoe nicht nur entbehrlich, sondern geradezu störend ist".

Bene refutavit hanc opinionem *Nencini* p. 122, cum respicere nos iubeat prologi versum 9, ubi puella meretrix appellatur. „Tum si puella libera erat, cur, inquit, eam eripuit „adulescens, quam iure in patrocinium suum sibi vindicare „poterat? Neque enim est, cur dicas Aeschinum id fecisse „temporis brevitate coactum aut Ctesiphonis consilio verentis „ne maior in civitate rumor manaret atque ad Demeae patris „aures res perferretur. Nam de temporis brevitate, quo res „acta fuit tantum in versibus 272—273 iniecta est mentio, „qui Diphilei non sunt; nec quicquam causae est cur hac ipsa „ratione et apud Diphilum rem administratam esse censeamus. „Metui autem locus esse omnino non poterat, quando illud „unum curae erat Ctesiphoni, ne reus ipse prae patris oculis „videretur: quod quidem timendum iam ei non erat, ex quo „Aeschinus frater maledicta famam laborem et peccatum in „se transtulerat. v. 263".

At ne necesse quidem est, quae Dziatzkonis sententia fuit, versiculos illos ita explicare, quasi iuvenis serio loqueretur. Nencini p. 124 altercationem inter Sannionem et Aeschinum de vendenda puella acute et vere sic explicuit: „Cum paullo „superbius dixerit leno: „si eam nolo vendere, coges me?" „inridens Aeschinus, quod se leno vendere nolle dicat, quae „in aliena potestate iam sit, „minime" respondet; ubi vero „videt lenonem illud „minime" ironice dictum non sensisse,

„ne videatur ei manus dedisse, haec addit: „Neque vendundam „censeo, Quae liberast q. s." quae arrogantis simulque iocantis „verba sunt quasi dicat: Recte facis quod puellam vendere „non vis: ego quoque ita sentio, quin etiam nefas esse aio „illam venire, nam libera est, sc. iure meo est. Arripuit „Aeschinus occasionem, quae sese obtulit, ludificandi lenonem, „qui satis inepte negavisset puellam, quam amisisset, se „venditurum. In insequentibus quoque verbis: „Nunc vide „utrum vis: argentum accipere an causam meditari tuam" „εἰρωνεία latet, quasi dicat adulescens: Vide utrum vis: argen„tum accipere an utrumque, argentum et puellam, amittere". „Haec omnia ideo dicta esse vel hoc argumento est, quod e „lenonis verbis lenoni contraria conclusio infertur aut, ut „Terentianis verbis utar, suo ipsius gladio iugulatur".

Addo hoc, vix verisimile esse, iuvenem pro puella, quam liberam esse certo sciebat, tantam pecuniam daturum fuisse, quantam promittit 1—38, viginti minas.

L. Spengel, in praef. Adelph. probavit Dziatzkonis opinionem et novo argumento firmare conatus est, cuius tamen veritatem non agnosco. Verba eius haec sunt: „Wozu brauchte Aeschinus den leno aus dem Hausse zu reissen wenn er nur das Mädchen in Sicherheit bringen wollte? Weit vortheilhafter wäre das Gegentheil für ihn gewesen, wenn er ihn in seinem Hause gesperrt hätte, wenn er gehindert hätte, dass er ihm auf der Strasse nachlaufend das Mädchen wiederholt zu entreissen suchte. Dagegen passte dieser Sachverhalt in die Comödie des Diphilus. Wenn das Mädchen eine freigeborene war und der leno sich weigerte vor Gericht zu erscheinen, so konnte der adulescens ihn aus seinem Hause zerren und mit Gewalt vor Gericht führen".

Haec sane longe quaesita sunt neque admodum probabilia et satis refutata a Nencinio p. 123: „Leno, inquit, domo „exturbatus est, ne puellam quaerentibus molestus esset", et praeterea: „non satis liquet, cur leno timeat 1.39, ne

„puellam vendere cogatur ab Aeschino, quam iam sciat „liberam esse ob eamque rem venire non posse" [1]).

Cum haec interpolationis indicia a viris doctis prolata, recusanda videantur, gravius est, quod in actu II, comparato cum actu I temporis ratio claudicat, qua de re egerunt *Dziatzko* Praef. et *Klasen* p. 10—11.

Demea raptionem fratri sic enarrat I 2. 8—13:

Fores effregit atque in aedes inruit
Alienas: ipsum dominum atque omnem familiam
Mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat. Clamant omnes indignissume
Factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere; in orest est omni populo.

Atqui initio actus sequentis Aeschinum videmus etiamnunc cum Sannione de psaltria certantem et ope Parmenonis domum abigentem. Quaesiverunt igitur viri docti, quomodo Demea iam audivisse potuerit, quae modo facta essent et quorum pars mox coram spectatoribus ageretur. Ex scholio ad II 1. 5. videmus *Donatum* quoque in eadem re haesisse:

„Quamquamst scelestus, non committet hodie umquam,
[iterum ut vapulet".

„Minaciter (leg. fortasse mirabiliter) poeta priorem litem „sustulit, dicendo: „iterum", ut non eadem lis esset, de qua „supra Demea questus est, sed instaurata nascatur". Hanc tamen Donati explicationem nemo hodie facile probabit.

Procul dubio scena e Diphilo inserta, II 1, oculis proponit eandem litem, quam paullo ante Demea narraverat. Fatendum est igitur hic poetam latinum neglegentiam admisisse, quamquam etiam in exemplari graeco non omnia culpa vacasse postea ostendam, cum data opera inquiram in temporis

[1]) Non confugiendum est ad arbitrarias loci emendationes, quales proposuerunt *Guyetus* „homo me arripuit" aut *Wagnerus* „Domi (sic Bembinus) me arripuit", quam me iudice immerito probavit *Fabia*, Les prologues de Térence pg. 201 not 4.

rationem, quam observaverunt comici. Igitur h. l. revera temporis et oeconomiae errorem deprehendimus, Terentio imputandum et ortum ex interpolatione scenae Diphileae. Affirmare tamen ausim spectatores eo non graviter offensos fuisse, cum poeta eximia arte iis, quae Demea loquitur actu primo, spectatorum animos praeparavisset ad ea, quae aguntur in II 1: gratum iis erat in scena repraesentata spectare, quorum rumorem famamque paullo ante audivissent.

Si hoc unum praetermittimus, nemo, erit, credo, quin concedat satis bene cessisse poetae contaminationem fabularum duarum in II 1. Attamen, ut de universo eius consilio in immutanda fabula Menandrea iustam sententiam feramus, necesse est, quantum fieri potest, enucleare, quid Menander hoc loco habuerit. Tum demum statuere poterimus, utrum aliquid lucrata sit comoedia additamento annon. Spero autem me paullo ante demonstrasse II 1 totam e Commorientibus petitam esse, ita ut lacuna, quae inter v. 154 et 209 exsistit, nobis explenda sit.

E v. 210 apparet lenonem in scena esse, cum Syrus aedibus exit, ut iram eius placet. Porro cognoscimus ex eiusdem Syri verbis ad Aeschinum, qui intus remanet, v. 209, collatis cum v. 216, promisisse iuvenem lenoni, se pecuniam pro puella rapta daturum esse. Iam si cum his conferimus, quae spectatoribus iam nota erant ex iis, quae v. 88 ad 99 narraverat Demea, suspicor apud Menandrum scenam primam actus II sic institutam fuisse.

Primum leno spectatores edocebat, qua ratione Aeschinus cum servis et puella in patris domum revertisset. Audiverant enim a Micione v. 26 eum hac nocte a cena non rediisse neque quemquam revertentem conspexerant, cum apud Romanos aulaeum non demitteretur in actuum interstitiis. Festive igitur atque lepide hunc reditum narratum fuisse suspicor. Exsequebatur nimirum, quomodo adolescens cum satellitibus et Pamphila, per posticum veniens, concubia nocte clam patre atque familia in domum irrepsisset. Hoc conicio ex

multis locis, ubi per posticum intrant homines, qui clam domum repetunt, velut in Plauti Sticho v. 437, 450 s qq. Epid. v 668 Most. v 931. Horat. Ep. 1. 5. 31. Val. Max 5. 7. 3. Suet. Claud. c 18. Hac ratione gravis illa difficultas tollitur, ad quam interpretes parum adtenderunt, nempe quomodo Micio illud adfirmare potuerit, quod est in v. 26 et spectatores tamen statim post raptionem i. e. ante solem ortum, eum cum psaltria salvum domum rediisse percipiunt v. 209 s qq. Itaque pater anxius, mane experrectus, ridicule filio metuit, cum ille proxime in lectulo crapulam edormisceret. Porro leno spectatoribus narrasse videtur, se indignissime habitum esse ab Aeschino eiusque comitibus, qui cum scirent eum in Cyprum mox abiturum esse, puellam, quam illuc abducturus esset, sibi eripuerint. „In ipso articulo oppressum" se esse fatetur cf. v. 229: nam aut mercatus ei omittendus est aut lis, quam intendere potest raptoribus, differenda, quod utrumque aeque molestum ac damnosum esset. Omnibus igitur accurate pensitatis, constituisse se dicit, quantam maxime potest pecuniam ab Aeschino extorquere, quamquam metuendum sit, ne nihil accipiat atque iterum male mulcatus abigatur.

Terentius igitur pro soliloquio Menandreo substituit scenam motoriam actione rapida atque vehementi, qua popularium favorem sibi conciliatum iri certum habebat. Non miramur ex eius opinione Romanis melius placiturum fuisse exordium actus secundi, quod nunc obtinet, quam scenam Menandream, tametsi facile credimus, soliloquium illud pulchrum fuisse atque sententiis argutis distinctum, lenonis denique personae, iniuriam sibi illatam querenti, perquam aptum propter ea, quae Quintilianus affiirmat de arte Menandri X 1 69.

Sententia mea de quaestione, in qua nunc versamur, proposita deinceps recensebo, quae ab aliis in diversam atque adeo contrariam partem disputata sunt.

Primum *Lessingium* nomino, qui P. Nannii coniectura de Donati scholio ad II 4. 10 probata, totum actum secundum e Diphilo haustum esse putat. Hanc opinionem omnino stare non posse supra vidimus, cum coniectura illa prorsus incerta sit. Deinde autem de exemplari Menandreo haec habet: Hamb. Dram. pars XCIX: „Indess muss freilich, anstatt dieser von dem Diphilus entlehnten Entführung, in dem Stücke des Menanders eine andere Intrigue gewesen sein, an der Aeschinus gleicher Weise für den Ctesipho Antheil nahm, und wodurch er sich bei seiner Geliebten in eben den Verdacht brachte, der am Ende ihre Verbindung so glücklich beschleunigte. Worin diese eigentlich bestanden, dürfte schwer zu errathen sein. Sie mag aber bestanden haben, worin sie will, so wird sie doch gewiss eben sowohl gleich vor dem Stücke vorhergegangen sein, als die von Terenz dafür gebrauchte Entführung. Denn auch sie muss es gewesen sein, wovon man noch überall sprach, als Demea in die Stadt kam; auch sie muss die Gelegenheit und der Stoff gewesen sein worüber Demea gleich Anfangs mit seinem Bruder den Streit beginnt, in welchem sich beider Gemütsarten so vortrefflich entwickeln". Quae parum verisimilia esse iam *Meinekius* (Men. et Phil. Rell. pg 1.) ostendit; nam puellae raptio tanti momenti est ad totius fabulae argumentum, ut exempta hac paene altera comoedia existeret.

Demea enim, cuius partes tantae sunt, fiduciae plenus est atque instituta sua unice vera esse sibi persuasit, dum putat Aeschinum sua ipsius gratia rapuisse puellam. In fine demum fabulae constantia eius labefactatur, cum comperiat raptum revera perpetratum esse Ctesiphonis filii causa quem iuvenem bonum atque frugalem credebat. Quae autem causa senem inducere poterat, ut mores mutaret, nisi quod intelligebat errasse se de filio, cui errori ansam praebuerat raptio? Quod

ad Aeschinum adtinet, eius quoque persona pendet a raptione. Nam Sostrata et Geta, qui prorsus ignorant, quid raptio illa sibi velit, desperant de adulescentis fide, Hegionis auxilium invocant atque ita Micio et Demea veritatem reperiunt.

Atqui ipsius Meinekii opinio, apud Menandrum quoque inductum fuisse lenonem cum Aeschino ante aedes paternas altercantem, spernenda est. Nimium tribuit Donati scholiis ad II 1. 45. et II 4. 10. Causa nulla fuisset, cur Terentius Diphilum praeferret Menandro. Nam quod dicit Terentium ideo rem ita instituisse, „ne uni omnia Menandro debere videretur", argumenti vim non habet.

Horum opinionibus reiectis, videamus iam de illis, *Grauerto, Teuffelio, Nencinio,* qui non tantum primam scenam Diphilo tribuunt, sed etiam alteram.

Primum lenonis partes omnino alienas esse a Menandro contendunt atque idcirco alteram quoque scenam a Diphilo derivandam esse censent (Grauert p. 134 Nencini p. 120.) Cum tamen argumentum nullum adduxerint, satis habeo dicere, mihi hanc suspicionem improbandam videri, cui insuper vehementissime repugnat, quod leno etiam in *quarta* scena, quam illi Menandro vindicant, quaedam interponit. Nam etiam si Nencinio crederemus illa inserta esse a Terentio [1]), porro tamen quaerendum esset, cur inseruisset poeta verba, quibus facile carere possumus, quod ad argumentum universum fabulae adtinet. Etenim multo facilius fuisset poetae latino si lenonem II 2. 45 abeuntem finxisset atque Syri verba: „Paullisper mane." paullulum mutasset vel omisisset. Quae Nencini l. c. habet de Diphili praestantia in lenonum personis exprimendis, nihil ad rem, cum eadem praestantia etiam Menandro non sit abiudicanda.

Alterum argumentum inde repetiverunt Grauert p. 134, Teuffel p. 284, Nencini p. 119, quod in scena altera revera

[1]) „Certe Sannionis persona Diphilo tota adtribuenda est, exceptis pauculis, quae Sannio in scena quarta interponit."

psaltriae dominus fiat Aeschinus, acceptis a lenone condicionibus, quas offert Syrus. Cf. Grauert: „es ist aber wahrscheinlich (sc. scenam alteram Diphileam esse), da nach dem Attischen Rechte der Mensch ein unbestreitbares Recht auf eine Sclavinn hatte und deshalb gütlich musste abgefunden werden." Teuffel: „die Verhandlung zwischen Syrus und Sannio ist wesentlich um die gewaltsam begonnene Aneignung der Hetäre zu vollenden und ihr Dauer und rechtliche Geltung zu verleihen." Non multis mihi opus est, ut ostendam parvi ponderis hoc esse. Etenim cum constet apud Menandrum quoque puellam raptam fuisse, necessario apud eum leno atque raptores egerunt de damno inde orto. Itaque eodem iure contendas hausta haec esse e Menandro atque e Diphilo. Ipse Teuffelius hoc verum esse concedit, attamen ei videntur tot ac tanta inesse in scenis prima et altera, quae sibi invicem respondeant, ut ab uno poeta conditae esse debeant. Contra, postquam accurate locum recognovi, nego quicquam inesse in scena altera, quod cohaereat cum iis, quae leguntur in scena prima, praeter confabulationem de puella. Vide Teuffel p. 284. „Zwar folgt hieraus (quod Syrus et Sannio II. 2 de pecunia paciscuntur) zunächst nur dass sowohl bei Menander als bei Diphilus auf die Entführung ein Abkaufen folgen musste und dass daher II 2 an sich sowohl aus dem einen wie aus dem andern Dichter entnommen sein könnte. Indessen steht II 2 mit II 1 in so vielfachem und wesentlichem Zusammenhange, dass ohne triftigen Grund eine Vertheilung derselben an zwei verschiedene Verfasser unzulässig erscheint."

Denique Nencinius p. 120 argumentum prorsus novum excogitavit, ut ostenderet scenam alteram non a Menandro scriptam esse, sed a Diphilo. Explevit nempe fragmentum Diphili incertum 30.

Καιρῷ τιθέμενον κέρδος ὡς καρπὸν φέρει

praefigens versum dimidiatum de suo fictum:

θαυμαστόν ἐστι μηδαμοῦ

idque latine expressum ducit Syri verbis II 2. 8.

„Pecuniam in loco neglegere maximum interdumst lucrum". Est hic sane lusus ingenii perquam doctus et lepidus, sed ad probandum quidvis prorsus inutilis. Verba Graeca καιρῷ-φέρει continent sententiam generalem, quae non ita rara esse debuit in comoedia cuique certum locum adsignare difficile est.

Si quis quaerat, quale exordium actus secundi Menandrei fuisse illis viris videatur, Grauertus p. 135 existimat excepisse sese in Adelphis graecis I 2 et II 3. „Bei Menander möchte dieser Auffritt des Ctesipho gleich auf das Gespräch des Micio und Demea folgen". Obstat huic coniecturae, quod Aeschinus, qui actu primo foris est, in II 4. domi esse fingitur, cum spectatores nihil de eius reditu compererint. Sollemne enim est talis rei rationem reddi in comoediis, ignotis actuum interstitiis, cf Dziatzko Phormio p. 45 Leo Quaest Plaut. p. 13 no. 3.

Idem vero p. 142 haec habet: „Es ist leicht möglich, dass Menander den Aeschinus von diesem Schmause (cf. I 1.1) heimkehrend auftreten liess, da die tumultuarischen Scenen mit Sannio bei ihm nicht waren: Terenz musste hier Manches ändern, da er jene Auftritte einfügte".

Subobscurum est, quomodo Grauerto rerum eventus apud Menandrum institutus fuisse videatur.

Nencinius cum Grauerto facit, at sibi persuasit in actu primo longe discessisse ab exemplari graeco poetam latinum, de qua re infra agam. Vide p. 30.

Itaque Nencinii, Grauerti, Teuffelii sententia de parte Diphilea et de forma huius scenae apud Menandrum mihi improbanda videtur et propius accedo ad *Ihnium, Klasenum, Regelum, Dziatzkonem*, qui II 1 v. 1—42 tantum e Commorientibus desumptos esse putant, dissentiens tamen ab iis in v. 42—55.

Ihnius p. 27 respicere nos iubet prologi versus 6—11, quibus dicitur raptionem neque quicquam aliud mutuatum esse Terentium a Diphilo, quae raptio v. 1—42 ante spectatorum

oculos agatur. Praeterea haec adlegat: „Nam quae leno a „v. 42 secum loquitur, ita comparata sunt, ut etiam sine „praecedenti rixa optime intelligantur, item ut Ctesiphonis „verba in II 3 et fratrum colloquium II 4. Confirmat hoc „Donatus citato ad II 1.45 fragmento Menandri, quod quamvis „sit corruptissimum, tamen hoc demonstrat, Sannionis verba, „quibus se vapulasse queritur, e Menandro esse expressa. „Quod quum facile fieri potuerit, nihil est causae, cur ipsi „nobis difficultates exhibeamus et negantes Sannionem in „Menandri Adelphis fuisse, fragmentum illud cum Grauerto „ad alius (sc. Demeae) personae narrationem, aut quod peius „est, ad prologum, qui numquam fuit, cum C. F. Hermanno „referamus. Accedit aliud nostrae sententiae argumentum, „petitum ex similitudine, quae inter versum Terentianum et „Menandreum intercedit. Legitur enim in Menandri Gnom. „Mon. οἶμαι τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ, quod lenoni „videtur tribuendum esse et a Terentio latine redditum II „1. 43 ita:

„Minime miror, qui insanire occipiunt ex iniuria".

Sic igitur Ihnius; attamen nego soliloquium lenonis per se positum recte intelligi posse, cum ne de nomine quidem raptoris spectatores edoceantur et supra probabile reddidisse me spero, artissime illud cohaerere cum praecedentibus. Quod ad fragmentum a Donato adlatum, adtinet, non necessario inde efficitur, hunc versiculum fuisse in Adelphis Menandreis. Cf. p. 66. Menandri porro gnome, iam ab antiquis commentatoribus ad hunc locum relata, non ita similis est verbis latinis, ut multum huic argumento tribuam. Denique imprimis improbanda est Ihnii ratio in eo, quod existimare videtur, apud Menandrum nihil interpositum fuisse inter I 2. et II 1. 46.

Hoc iam reprehenderunt Dziatzko p. 10—11, Regel p. 6—7 Klasen p. 9, quamquam ceteroquin cum Ihnio faciunt atque diversum in modum lacunam inter v. 153 et 196 suppleverunt, exemptis vss. Diphileis ortam.

Dziatzko l.c. hanc coniecturam de exemplari graeco proposuit: „Für mich ist es daher am wahrscheinlichsten, dass in den griechischen Adelphoe bei Beginn des zweiten Aktes, wenn man von Akteintheilung griechischer Dramen sprechen darf, nachdem Demea und Micio wie bei Terenz die Bühne verlassen haben, Aeschinus mit seinem Dienertross und dem eben geraubten Mädchen auftritt, wobei sehr passend das Wenige mitgeteilt werden konnte, was nach Demeas Erzählung den Zuschauern etwa noch unbekannt war".

Dziatzkoni assensus est Regelius l.c.; qui hoc tantum addit: „Möglicher Weise war bei Menander jedes Anstössige dadurch vermieden, dass Aeschinus in einem Monologe darthat, er habe nicht gleich nach vollbrachter That mit seiner Beute, zum Hause des Micio entrinnen können, sei unterwegs durch den lärmenden Sannio noch längere Zeit aufgehalten u. d. gl."

Apparet bene animadvertisse Regelium, qua in re sententia, a Dziatzkone prolata, claudicet, quamquam mihi quidem rationem, quam iniit ad molestiam tollendam, non probavit.

Quid enim? Cuiquam credibile videtur Aeschinum tamdiu per urbem vagatum esse, ut, cum media nocte a lenonis aedibus profectus esset, nunc demum, non primo mane, sed aliquanto iam diei peracto, domum reverteret? Ctesipho saltem, qui raptioni interfuerat, iamdiu in paternam villam redierat; cum enim pater eius mane in urbem proficisceretur, procul dubio domi erat, unde mox reveniens fratrem visitat.

Atqui gravius aliquid est, cuius rationem reddere supersederunt tam Dziatzko quam Regelius. Unde enim supervenit leno II 2. 1? Persecutusne est raptores ad aedes paternas atque spatio distans, tranquille ac tacite audivit aut Aeschinum aut alium aliquem spectatoribus facta disserentem? Num viri illi sibi finxerunt per compendia viae assecutum esse Sannionem praedones, quos paullo ante reliquisset, ut domum suam peteret atque eum in proscenium advenisse eo ipso temporis momento, cum domum intrarent? Tamdiu igitur

etiam Aeschinus in itinere moratus est, postquam liberatus erat lenone, ut illi tempus esset domum redeundi atque mane ad Micionis aedes pergendi, ubi simul cum raptoribus adveniret?

Haec mihi obstacula talia videntur, ut horum virorum sententiam probare nequeam.

Postremo Klaseni opinio commemoranda est, quae iisdem obiectionibus obnoxia non est quibus ceterae atque tam probabilis mihi videtur, ut omnibus reliquis praeferam. Cf. p. 9. „Cum in Menandri fabula virgo non coram spectantibus „ab adulescente erepta domumque abducta, sed verbis tantum „de vehementissima illa rixa expositum esset, veri simile est „eam fabulae partem a poeta graeco ita esse auctam atque „amplificatam, ut lenonem induceret argentum pro erepta „meretrice efflagitantem, qui uberius de Aeschini facinore „spectatores edoceret". Cf, quae supra exposui p. 17.

Caput 2.

De discrepantia inter exordium fabulae Terentianum et Menandreum.

Tradidit nobis in vita poetae C. Suetonius Tranquillus, *Varronem* praetulisse exordium Terentianum Menandreo. Cf. ed. Reiff. p. 19. „Eunuchus quidem bis .... acta est meruitque „pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, videli„cet octo milia nummum: propterea summa quoque titulo „adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam prae„fert principio Menandri". Post *Wolfium* et *Ritschelium*

Reifferscheidius ostendit, locum procul dubio lacunosum esse, quod ei assentior, quicquid obloquitur Nencini p. 129 n. 3., non quo tantopere me offendat usus particulae *nam*, sed ipsa res, quae a praecedentibus prorsus est diversa.

Difficillimum, nedum desperandum est enucleare nos posse, quae illa discrepantia fuerit. Ex brevi hac sententia nil nisi hoc certo concludi potest, in principio fabulae aliquid discriminis fuisse inter Menandrum et Terentium: fueritne hoc grave an levius, in forma an in rebus, in paucis versibus an in scenarum oeconomia positum, prorsus incertum est. Fortasse Varro nihil aliud respexit quam formam soliloquii Micionis a Terentio fusius et elegantius elaboratam.

Assentior igitur Dziatzkoni Ad. Einl. p. 10: „ich glaube vielmehr mit jenem, (Ihnius) dass Varro bei seinem angeführten Urteil über den Anfang der Adelphoe an keine grössere Verschiedenheit der *Oekonomie* gedacht hat". Cum ille verbum „Oekonomie" maioribus typis excudendum curaverit, idem indicare voluisse censendus est, quod supra proposui.

Iam perlustrabo varias doctorum suspiciones, e quarum diversitate cuique manifestum fiet, quam lubrica sit haec quaestio et quantum incerti in se habeant opiniones illorum.

E *Duebneri* sententia, edita in Nov. Ann. Phil. a. 1834 p. 29 sqq Varro hoc praecipue laudavit, quod I 2. 1 (81) Terentius Demeam non resalutantem fecit, ut iracundiam eius ostenderet, cum apud Menandrum salutem solitam fratri redderet. Cf. Donati scholium ib.] „Melius quam Menander, „quum hic illum ad iurgium promptiorem, quam ad resalutandum fecit". At vix credibile est ob rem tam levem Terentium praelatum fuisse Menandro.

Grauertus p. 145 haec habet: „Wie gross diese Aenderung war, lässt sicht nicht angeben. Sie kann nur Einzelnes, nicht die Gestaltung des Ganzen betroffen haben, da die erste Scene nach Menander war". Haec vero mera suspicio est.

Ihnius p. 32 utitur iis, quae Grauertus p. 132 habet: „bei

Menander ist die raptio psaltriae ebenso Veranlassung der ganzen doppelten Handlung und also gewissermassen Grundlage des Drama gewesen, aber nicht auf der Bühne dargestellt, sondern bloss im Gespräch erzählend erwähnt: wozu schon die Beschreibung des Demea I 2. 8 fll. ungefähr hinreichte". Sufficere ei videtur ad commendandam atque adeo praeferendam graecae fabulae latinam, si raptionem puellae apud Menandrum tantummodo narratam esse a Demea censemus. At quis scenam alteram appellaverit fabulae „principium"?

Viam longe diversam ingressus est *C. F. Hermannus* Ind. lect. hib. Marburg 1838: Contendit totum actum secundum, ut nunc obtinet, defuisse exemplari Menandreo atque eo loco raptum ipsum interpositum fuisse embolii instar, ut spectatorum oculos auresque delectaret poeta festiva lepidaque scena, inter ceteras fabulae partes eminenti. Sequitur inde, Demeae verba de Aeschini scelere I. 2, quae nunc explicantur actu secundo, apud Menandrum aliter explanata fuisse. Persuasit autem sibi vir cl. rerum ante actarum narrationem prologo committendam esse atque prologum non eum intelligit, quem nunc apud poetam nostrum videmus, sed expositionem, in qua narrantur ea, quibus actio nititur et quae a persona quadam recitatur. Dicit p. 4 „Syrum", cui prologi partes tribuit, „Aeschino cum lenone ad forum digresso, cum Ctesiphone et „psaltria domum rediisse hisque intromissis, quae apud Teren„tium se cum Micione egisse (III. 3. 10.) paucis tantum „narrat, illic pluribus ante spectatorum oculos egisse, donec „Demea adveniente duos fratres solos iurgiis suis relinqueret. „Et Micionem quidem totam illam filii tractandi rationem et „institutum, quod apud Terentium solus secum eloquitur, „etiam Syro exponere potuisse, non est, quod multis doceamus „neque ipsa illa quae in prima fabula secum ipse tantum „loqui potest, a Menandro aliena ducimus, modo ne statim „conspectum ab eo Syrum statuamus".

„Hanc errorum telam" penitus dispulerunt Ihnius p. 34,

Klasenus p. 7, Nencinius pg. 127. Nam quod dicit de actu secundo fabulae latinae, in Adelphis Menandri embolii instar inserto, admodum temeraria coniectura est; etsi dubitari non potest, quin embolia in Romanorum re scenica in usu fuerint, nusquam tamen vola nec vestigium apparet embolia illa constitisse ex scena aliqua comoediae ipsius, quae agebatur, ut Hermannus putat. Reliqua, quae profert, non maioris pretii sunt. „Quis credat", ait Ihnius, l.c., „Micionem cum servo educandi filii rationes communicasse aut quis potest in Micionis oratione I. 1. talem locum invenire, ubi conspectu Syri diverbium in gr. fabula incepisse videatur, quum, quae Micio dicit, omnia ita coniuncta sint et tam placide decurrant, ut interpellatum eum esse minime sit credendum?"

Deinde Hermannus, ut opinionem suam qualicumque modo fulciret, e Micionis verbis I 2. 3 (83) „Dixin hoc fore?" effecit iam nota fuisse illi, quae circa psaltriam facta essent. Nulla vero causa est, cur verba illa id sonare putemus. Quidni Micio, qui Demeae iracundiam vehementiamque probe nosset, cum eum irae plenum adpropinquantem conspiceret, suspicari poterat, eum denuo conquesturum esse de Aeschini nequitia? Hanc explicationem veram esse cernimus ex I 1. 54—56.

Mi. Nescioquid tristem video: credo iam, ut solet,
Iurgabit.

Itaque ne Hermannus quidem verum invenisse mihi videtur.

Non melius res cessit *Guil. Fielitzio*, qui „de Menandri Adelphon exordio atque exitu" disputavit in Fleck. Ann. vol. 97. a 1868 p. 675—82. Recte notat offensioni esse debere, quod Aeschinus, qui II 2. domi est, in actu primo foris versatur, quippe qui Ihnii rationem probet, apud Menandrum nihil interpositum fuisse inter I. 2 et II 1. 46. Pergit deinde: „Damit ergibt sich die Abwesenheit des Aeschinus, also auch das Gastmahl, von dem ihn sein Vater so ungeduldig zurückerwartet, als eine Zuthat des Terenz, die notwendig geworden war zur Motivierung der zweiten Zuthat,

die Rückkehrscene im zweiten Akt. Und suchen wir nun die einzelnen Verse der Terenzischen Zuthat hiernach genauer zu bestimmen, so ergeben sich gerade die zehn bis zwölf ersten und der letzte Vers des ersten Actes als die einzigen des ganzen Stücks, in denen dieser Abwesenheit des Aeschinus Erwähnung geschieht: sie sind also mit ihrem ganzen Inhalt Eigentum des Terenz. Bei Menander war Aeschinus vom Gastmahl zurückgekehrt (oder wol gar nicht da gewesen) und hatte seinen Raub bereits in Sicherheit. Micio, welchem die Sache zu verheimlichen kein Grund war, hatte das Mädchen gesehen, vielleicht auch schon von ihrer gewaltsamen Entführung, aber noch nicht von dem eigentlichen Zweck derselben erfahren, jedenfalls aber nichts ungewöhnliches oder strafbares darin gesehen. Die Exposition dieser Sachlage mag der Inhalt der ersten Verse bei Menander gewesen sein, die jetzt durch die Terenzischen verdrängt sind; daher ist Micio, als er den Demea kommen und schon von weitem seinen Unwillen ausdrücken sieht, auf eine Scene gefasst; daher das „Dixin hoc fore?" v. 83. Micio ging dann am Ende des Actes auf den Markt, nicht um Aeschinus zu suchen, wie bei Terenz, sondern entweder um nähere Erkundigungen über die Sache einzuziehen oder um den fortgeeilten Bruder einzuholen und zu besänftigen.

Somit liegt der ganze, vielbesprochene Unterschied in den zehn bis zwölf ersten Versen. Und die Verse des Terenz I 1. 3—6 führen allerdings einen so feinen und witzigen Gedanken in so eleganter Weise aus, dass das Urteil Varros über diese Verse im Vergleich zu den Menandreischen, welche die oben bezeichnete einfache Exposition enthalten haben werden, als ein hinreichend motiviertes und berechtigtes erscheint."

In universum contra Fielitzium hoc primum monendum est, vestigium nullum esse, ne dicam argumentum, apud Menandrum fabulae exordium illud obtinuisse, quod F. sibi persuasit.

Concidit porro eius opinio, quia nititur Ihnii sententia apud Menandrum nihil interpositum fuisse inter I 2 et II 1.46 quam supra repudiavimus, et prava interpretatione v. 83 „Dixin hoc fore?", quam reprehendimus p. 28. Accedit, quod, quae Micio inde ab I 1. 17 usque ad I 1. 52 disputat de sua vivendi atque filii educandi ratione, locum habere non possunt, nisi praecedunt I 1. 1—14. Quis credat virum, qui I 2.75 narrat se iam speravisse, „Aeschini adolescentiam deferbuisse," in hunc modum ratiocinaturum fuisse, si sciret filium cum puella rapta domum rediisse? Porro Micionem rem ab initio iam scivisse, evertitur v. 364, ubi a Syro demum comperit, cur Aeschinus psaltriam lenoni eripuerit. Nihil causae erat, cur Aeschinus hoc non statim cum patre communicaret. Pluribus argumentis eius sententiam refellere supersedeo, cum haec iam satis gravia sint.

Speciosior est opinio Jos. KLASENI p. 14, quamquam ne haec quidem omnino molestiis caret. Nos revocat ad Donati scholium ad I 2. 2. quod supra laudavi. Inde non temere colliges, ait, Varronem, ut latinae exordium praeferret, eo esse permotum, quod Terentius moribus senis accurate exprimendis in ipso fabulae exordio eximiam operam navavit. Constat autem testimoniis gravissimis Varronem in Terenti fabulis id potissimum admiratum esse quod poeta in eleganti et acuta quadam morum notatione artem et diligentiam collocarit atque per totam fabulam servarit ἦθη, quae vocant. Itaque Nonius in v. poscere hanc Varronis offert sententiam: „In argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσιν Terentius, in sermonibus Plautus." Obstat tamen, quominus viro docto assentiamur, quod Varro principium tantum praetulit, non universam fabulam.

Postremo commemoranda est *Nencinii* sententia, descripta p. 134. Sequitur Fielitzium hactenus, quod existimat Aeschinum et Syrum domi esse debuisse, dum primus actus ageretur; psaltriam noctu vel primo mane deductam fuisse. „Haec,

„raptio et reditus scilicet, omnia iam inde ab initio fabulae „gesta erant — et quidem in primo actu rumor facti ad „Demeae aures iam pervenerat I. 2 — nec vero si haec in „ipso fabulae Menandreae initio acta putarentur, intellegeretur, „cur Terentius Diphili episodium in Menandrei locum, in „fabulae scilicet exordium, non transtulisset. At si ea non „agebantur, profecto narrabantur". Exsequitur deinde, quomodo primus actus Menandreus sibi constitutus fuisse videatur. „Sc. 1. „Syrus narrat solus ante acta i. e. raptionem puellae eiusque „deductionem. — Sc. 2. Exit Micio, Syrum de filio percontatur, „cui servus verba dat filiumque nondum rediisse mentitur: „tum Syro profecto Micio ea solus loquitur (Sc. 3.), quae apud „Terentium a tertio inde versu leguntur". Addit denique vir doctus: „Iam si recte hucusque coniecimus, obscurum esse „non potest, quo doctissimi omnium Romanorum viri iudicium „spectaverit. Nam duo in ipso fabulae limine soliloquia, „Syri et Micionis, eaque non ita brevia, quae sese invicem „tam presse exciperent, nemini probari poterant, qui sano „uteretur iudicio".

Qui integro animo haec legerit, non intelliget, credo, quomodo vir, qui „sano utitur iudicio", talia Menandro imputare sustinuerit. Unde enim sibi sumpsit, ut duo illa soliloquia, tota de suo ficta, initio fabulae Menandreae posita fuisse contenderet?

Videamus iam de argumentis, quibus coniecturam audacem commendavit. P. 133. „Syrum raptionis consilium dedisse „e III 3. 14 apparet, eum raptioni interfuisse veri est simil- „limum, res extra scenam gestas alibi quoque III 3. 12 sqq „narrantem deprehendimus". Nequaquam necesse est, ut ita statuas: ad insidias enim struendas opus erat Syro, homine vafro et callido, ad raptum ipsum non ita.

Deinde hoc invenit: „Quod Geta vehementissime invehitur in „impulsorem", III. 2. 17 „id manifesto est indicio Syri partes in raptione iam notas fuisse non modo civibus, quos

Geta percontatus esset, sed etiam spectatoribus; qui quidem Getae verba non statim intellexissent, nisi iam antea a Syro audivissent, quas ipse partes in raptione suscepisset." Quicumque locum illum legerit, agnoscet argumentum levissimum esse. Servum, qualis Syrus erat, impulsorem esse erilis filii ad omne facinus, nulla peculiari demonstratione indigebat.

Tertium, quod asserit, hoc est: „Tum serus Ctesiphonis in scenam adventus facile explicatur, si non pauca Syrum in facti narratione de Ctesiphone, ut par est, locutum conieceris, quae apud Terentium mente supplere cogimur. Inter cetera scilicet significavit Syrus Ctesiphonis causa raptionem patratam esse, Aeschinum vero, qui iam male audiret, facti famam in se transtulisse ideoque fratri suasisse, ut domum paullo tardius peteret, ne illius adventus una cum puella suspicandae veritatis causa esset." Quivis videt Nencinii sententia probata abundare II 3, ubi Ctesipho fratris erga se beneficium laudibus effert atque ita spectatores edocet, quid revera factum sit.

Denique hoc argumentum profert: „Ea verba, quae in Ctesiphonis laudem pronuntiat Demea I. 2. 14:

Si conferendum exemplumst, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?

faceta admodum in gr. fabula fuerunt risumque spectatorum profecto moverunt, qui quam parcus et sobrius esset Ctesipho, iam a Syro audivissent." Hic omnino nodos in scirpo quaerit; nonne versus illi aptissimi sunt, ut nunc scena illa se habet?

Ut rem conficiam, cito III. 3. 10 sqq, ubi Syrus Demeae dicit:

Omnem rem, modo seni
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil quicquam vidi laetius.

Cur verba dat seni servus in prima fabula, cum brevi post narraturus sit totam rem? Nencinius vero non potest quin Syrum senem decepisse statuat, quia alioquin Micionis soliloquium I 1. 1—55 expungendum erat.

Quanto magis doctorum opiniones de hac quaestione inter

se comparo atque quantum potest, ad rerum probabilitatem exigo, eo magis despero discrepantia, quam Varro inter Menandrum et Terentium invenerit, reperiri amplius posse quae fuerit. Etenim si notum esset, ex quo Varronis libro, de re scenica in universum vel de comoedia latina vel de sermone latino, haec notitia fluxisset, filum quamvis tenue nobis suppeditaret, quo vestigia regeremus in hoc inextricabili conjecturarum labyrintho; fatendum vero id plane nos ignorare. Itaque cum res sic se habeat, aut manus abstinendae sunt aut saltem cavendum, ne Terentii fabulam contorqueamus et argumenta ad sententiam qualemcumque pro lubitu fingamus.

Caput 3.

De Hegione.

Sostrata, Pamphilae mater, servum suum Getam sic adloquitur v. 351 sqq.

Tu, quantum potest,
Abi atque Hegioni cognato huius rem enarrato omnem ordine.
Nam is nostro Simulo fuit summus et nos coluit maxime.

Ibi Donatus brevissime sic adnotat: „Apud Menandrum *Sostratae frater* inducitur." Qua vero ratione Hegio Sostratae genus apud Terentium adtingit? Apparet e versibus supra laudatis, collatis cum v. 494 „Cognatus (Simulus) mihi (Hegioni) erat" et v. 947 „Hegio cognatus his est proximus", Hegionem in fabula latina non Sostratae propinquum fingi, sed Simuli.

Diverse statutum est a viris doctis de causis, quibus inductus Terentius exemplar graecum immutaverit. Nemodum tamen

Geta percontatus esset, sed etiam spectatoribus; qui quidem Getae verba non statim intellexissent, nisi iam antea a Syro audivissent, quas ipse partes in raptione suscepisset." Quicumque locum illum legerit, agnoscet argumentum levissimum esse. Servum, qualis Syrus erat, impulsorem esse erilis filii ad omne facinus, nulla peculiari demonstratione indigebat.

Tertium, quod asserit, hoc est: „Tum serus Ctesiphonis in scenam adventus facile explicatur, si non pauca Syrum in facti narratione de Ctesiphone, ut par est, locutum conieceris, quae apud Terentium mente supplere cogimur. Inter cetera scilicet significavit Syrus Ctesiphonis causa raptionem patratam esse, Aeschinum vero, qui iam male audiret, facti famam in se transtulisse ideoque fratri suasisse, ut domum paullo tardius peteret, ne illius adventus una cum puella suspicandae veritatis causa esset." Quivis videt Nencinii sententia probata abundare II 3, ubi Ctesipho fratris erga se beneficium laudibus effert atque ita spectatores edocet, quid revera factum sit.

Denique hoc argumentum profert: „Ea verba, quae in Ctesiphonis laudem pronuntiat Demea I. 2. 14:

Si conferendum exemplumst, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?

faceta admodum in gr. fabula fuerunt risumque spectatorum profecto moverunt, qui quam parcus et sobrius esset Ctesipho, iam a Syro audivissent." Hic omnino nodos in scirpo quaerit; nonne versus illi aptissimi sunt, ut nunc scena illa se habet?

Ut rem conficiam, cito III. 3. 10 sqq, ubi Syrus Demeae dicit:

Omnem rem, modo seni
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil quicquam vidi laetius.

Cur verba dat seni servus in prima fabula, cum brevi post narraturus sit totam rem? Nencinius vero non potest quin Syrum senem decepisse statuat, quia alioquin Micionis soliloquium I 1. 1—55 expungendum erat.

Quanto magis doctorum opiniones de hac quaestione inter

se comparo atque quantum potest, ad rerum probabilitatem exigo, eo magis despero discrepantia, quam Varro inter Menandrum et Terentium invenerit, reperiri amplius posse quae fuerit. Etenim si notum esset, ex quo Varronis libro, de re scenica in universum vel de comoedia latina vel de sermone latino, haec notitia fluxisset, filum quamvis tenue nobis suppeditaret, quo vestigia regeremus in hoc inextricabili conjecturarum labyrintho; fatendum vero id plane nos ignorare. Itaque cum res sic se habeat, aut manus abstinendae sunt aut saltem cavendum, ne Terentii fabulam contorqueamus et argumenta ad sententiam qualemcumque pro lubitu fingamus.

Caput 3.

De Hegione.

Sostrata, Pamphilae mater, servum suum Getam sic adloquitur v. 351 sqq.

Tu, quantum potest,
Abi atque Hegioni cognato huius rem enarrato omnem ordine.
Nam is nostro Simulo fuit summus et nos coluit maxime.

Ibi Donatus brevissime sic adnotat: „Apud Menandrum *Sostratae frater* inducitur." Qua vero ratione Hegio Sostratae genus apud Terentium adtingit? Apparet e versibus supra laudatis, collatis cum v. 494 „Cognatus (Simulus) mihi (Hegioni) erat" et v. 947 „Hegio cognatus his est proximus", Hegionem in fabula latina non Sostratae propinquum fingi, sed Simuli.

Diverse statutum est a viris doctis de causis, quibus inductus Terentius exemplar graecum immutaverit. Nemodum tamen

mihi sententiam suam satis firmis argumentis fulcire visus est, ut ostendam in recognoscendis singulorum suspicionibus.

Atque primum Grauertus p. 145 ita disputat: „Eine andere Abweichung fand in der Person des Hegio statt, welcher bei Terenz nur irgend ein weitlaüfiger Verwandter der Pamphila, aber ein früherer vertrauter Freund ihres Vaters ist, bei Menander dagegen ein Bruder der Sostrata war. Daher kam auch der Vater der Pamphila, Simulus bei dem griechischen Dichter wohl gar nicht vor, wie ich aus Donat glaube schliessen zu können. S. zu v. 352 „nomen patris puellae deminutivum a Simo vel Simone. Et nota nomen in palliata fabula Latine deminutivum". Letzteres ist freilich falsch, da es der nicht ungewöhnliche und von vielen andern auf υλος und υλλος formirte Name Σίμυλος ist: aber man sieht daraus, dass der Simulus in dem Griechischen Drama sich gar nicht vorfand. Diese Abweichung in Rücksicht der Verwandtschaft des Vermittlers mit der Familie der Sostrata scheint mir aber Terenz keineswegs ohne Absicht vorgenommen zu haben. Denn war Hegio der Bruder der Sostrata, so konnte sie und ihre Familie wenigstens nach Römischen Begriffen, nicht so verlassen und hülflos sein wie Terenz sie darstellt: jener musste sie dann auf jede Weise unterstützen; war er aber nur ein weitlaüfiger Verwandter so mochte er sich weniger um sie bekümmern. Die Hülfslosigkeit der armen Familie hat also der lateinische Dichter noch grösser darstellen wollen, um ein höheres Interesse an ihr zu erregen".

Si diligenter Hegionis personam in fabula Terentiana consideramus, apparet Grauerti ratiocinationem veritati parum respondere, imprimis verba illa „war er aber nur ein weitlaüfiger Verwandter, [1]) so mochte er sich weniger um sie bekümmern," minime convenire in Hegionem.

[1]) Errat hic Grauertus, nam v. 946 Hegio a Demea appellatur *cognatus* harum *proximus*.

Nam ubi primum senex in scenam procedit, III 3. 4, e Syri verbis v. 455 sqq. manifestum fit eum fuisse amicum coniunctissimum Simuli, qui moriens familiam suam ei commendaverat.

Ge. In te spes omnis, Hegio, nobis sitast:
Te solum habemus, tu es patronus, tu pater:
Ille tibi moriens nos commendavit senex:
Si deseris tu, periimus. He. Caue dixeris:
Neque faciam neque me satis pie posse arbitror.

Agit deinde cum Demea, qui commode supervenerat, eum monet et obtestatur, ut iniuriam virgini illatam corrigat. Non obiter neque dubitanter hoc facit, sed commotus atque ex animi sententia, ita denique, ut verum esse agnoscatur, quod dicit v. 489 sqq.

He. Illaec fidem nunc vostram implorat, Demea,
Quod ius vos cogit, id voluntate inpetret.
Haec primum ut fiant deos quaeso ut vobis decet.
Sin aliter animus voster est, ego, Demea,
Summa vi defendam hanc atque illum mortuom.
v. 497 sqq. Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius quam illas deseram.

Postquam Demeae omnem rem aperuit, Sostratam consolatur atque promittit, se aditurum esse Micionem, ut hunc quoque officii admoneat.

IV. 3. redit de foro cum Micione, cui persuasit, ut peccatum a familia sua ortum corrigat. In hac quoque scena evidens est, quanta cura atque diligentia patroni munere Hegio fungatur.

Denique v 946 sqq et 951 et Micio et Demea profitentur, quanti faciant virum [1]):

[1]) Cavendum est, ne aliquid tribuas v 932, ubi Sostrata a Demea sola dicitur. Ibi ille hoc tantum studet, ut Micionem inducat ut Sostratam uxorem ducat; eius tunc intererat mulierculam solam sine praesidio fingere.

De. Hegio cognatus his est proximus,
Adfinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.
Et
pro patre huic est, bonus est, noster est.

Paupertate tantum et humili vitae condicione impeditur, quominus Sostratam et filiam tam bene tueatur, ut ipse cupit. Cf. v. 500 sqq.

Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,
Quam vos facillume agitis, quam estis maxume
Potentes, dites fortunati nobiles,
Tam maxume vos aequo animo aequa noscere
Oportet, si vos voltis perhiberi probos.

et v. 605 sqq.

Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt nescio quo modo
Suspitiosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter suam inpotentiam se semper credunt ludier.

Itaque ne apud Menandrum quidem voluntas maior aut facultas ei esse potuit propinquas adiuvandi, neque idcirco, quod cognatis praesidio non fuerat apud Menandrum avunculus, Terentius ab exemplari gr. discessisse putandus est.

Porro non video quo iure e scholio illo de nomine Simuli trahatur Simulum nominatum non fuisse apud Menandrum. Miratur tantum scholiasta imperitus nomen graecum habere terminationem latinam.

Cum talia obici possint, non credo Grauerti sententiam stare posse.

Dziatzko praef. p. 6. et *Regelius* p. 8 paullo aliter rem dilucidare conati sunt. Ille scripsit: „Sonst wissen wir noch aus Donat zu Ad. 351, dass die Rolle eines Beschützers der Sostrata im griechischen Stücke deren Bruder, bei Terenz einem Verwandten des verstorbenen Mannes zufiel. Dass die Aenderung eine wohlbegründete ist, leuchtet ein: von einem Bruder wäre es eine schwer zu motivirende Nachlässigkeit

gewesen, wenn er von den Vorgängen in der Familie der Schwester nicht schon früher Kenntniss genommen und von sich aus mit Micio oder Demea deshalb in Verhandlung getreten wäre." Quibus *Regelius* l. c. haec etiam addidit: „Die Hülflosigkeit der Sostrata fällt ausserdem bei Terenz mehr in die Augen (vgl v. 455 fll.) wodurch das Interesse, das man an ihrem Schicksal nimmt, gesteigert wird." Hocine igitur Dziatzkoni Regelioque melius a Terentio quam a Menandro administratum esse videtur, quod vir, cuius partes eae sunt, quas supra exsecutus sum, virginem quam moribundus ei pater commendaverat, deserat neque curet quid ea fiat? Porro nemini facile probabunt Menandrum talem inconstantiam taleque compositionis vitium, non neglegentiam levem, quae eis videtur, in se admisisse, ut avunculum omnia de sororis filia ignorantem induceret, cum illi quoque existimare videantur partes Hegionis apud utrumque poetam prae una exceptione, consanguinitatis gradu, easdem fuisse. Ceterum eorum explicatio nititur hac opinione, Hegionem sua voluntate et neglegentia ignarum mansisse per multos menses amoris vinculi illiciti, quod Aeschinus cum cognata sua inierat et graviditatis inde ortae. Hanc autem opinionem iam refutavit *Nencinius,* usus hoc uno argumento p. 126: „Et quidem qui potuit neptis et Aeschini consuetudinem nunc primum post decem menses v. 475, 691 rescire senex, cum praesertim adulescens numquam intermitteret diem quin ad puellam se conferret v. 293?"

Unde autem sciunt Dziatzko Regeliusque Hegionem ignorasse amorem Aeschini? Ex iis, quae Hegio et Demea III 4. 1 sqq. inter se loquunter, hoc tantum certo effici potest, Hegionem nondum rescivisse psaltriae raptionem et perfidiam Aeschini, sed eum ignorasse amorem et vitium virgini illatum ibi nequaquam indicatur et contrarium multo probabilius est. Conficitur vero res vs. 469—477; nam incredibile est hominem, qui hoc ipso temporis momento tale facinus audivisset, tam sedato atque placato animo id comiti enarrare et excusare.

Mirum porro esset, si Sostrata casum tam gravem, amorem illicitum et graviditatem filiae, per tot menses reticuisset amico unico, „qui nos coluit maxume", et ea nunc demum non ipsa caute et pedetemptim, sed abrupte per servum aperiret. Profecto expectare debebat senem de gravi re tamdiu celatum, non ita promptum fore ad auxilium ipsi ferendum.

Nencinius autem post verba modo allata mirum in modum sic pergit: „Quoniam vero nihil causae est, cur id, quod Terentius vitavit, admiserit Menander — neque enim vincula cognationis inter fratrem sororemque Athenis et Romae diversa fuisse constat — iure quaeri potest, cur Hegio apud Menandrum amorem Aeschini et Pamphilae diu ignoraverit, quamvis puellae avunculus esset. Hoc aliter explicari nequit quam si Hegio omnia de amore illo apud Menandrum satis cognita habuisse putetur. At si apud Menandrum Hegio frater Sostratae fuit novitque probe neptis amorem, etiam quaeritur cur Terentius nec fratrem esse eum nec quidquam de neptis amore scire voluerit. Haec dubia facile removentur, si teneas Sostratam apud Menandrum precibus Pamphilae adductam iurasse, se de vitio filiae illato usque taciturum neque adeo cum fratre Hegione, qui rem urgendo corrumpere posset, quidquam communicaturam, postquam Aeschinus quoque iureiurando firmavisset hac condicione se puellam uxorem ducturum; fratrem autem Sostratae a Terentio Hegionem factum non esse, quo maiorem mulieris et Micionis nuptiae veritatis speciem habiturae essent, si Sostrata sola proximique cognati auxilio carens ostenderetur. Hanc enim causam praetendit Demea v. 932."

Ut ei moris est, Nencinius audacissime quaestionem dirimere conatus est, sed ita ut paucos adsentientes habiturus sit. Mera hariolatio est de duplici iureiurando, quod callida puella apud Menandrum postulavisset, uno ab amatore, ut se duceret, altero a matre, ut ne fratrem quidem Hegionem de se certiorem faceret. De hoc nihil novimus, de illo hoc tantum, Aeschinum

sua sponte iurasse, quae amatores solent v. 306, 312, 473. Quod autem adiungit, Hegionem rem urgendo corrumpere potuisse, hoc nequaquam timendum erat a sene sapiente et prudente, qualem se praebet. Vide inprimis v. 500 sqq. Denique mirum foret Donatum prorsus tacuisse de hac discrepantia non ita levi inter Terentium Menandrumque.

Alterum Dziatzkonis, Regelii, Nencinii argumentum, petitum e Sostratae nuptiis, non maioris momenti est. Vidimus supra quid ponderis tribuendum sit Demeae verbis illis v. 932.

„Nec qui eam respiciat quisquam est: solast,"

si comparantur cum Sostratae ipsius asseveratione in v. 352:

So. Nam is nostro Simulo fuit summus et nos coluit maxume.
Ge. Nam hercle alius nemo respicit nos,

et cum iis, quae de Hegionis cura et vigilantia accepimus. Vide etiam c. 6.

Postquam ostendi sententias eorum, qui ante me hanc quaestionem tractaverunt, probari non posse, ipse temptabo causam indagare, propter quam Terentius Hegionem Pamphilae avunculum esse noluerit. Haec forsitan inde repetenda erit, quod apud Romanos Terentii aetate familia aliter instituta erat quam apud Athenienses. Etenim Romae nulla iuris communio erat cuiquam cum genere materno; non hereditatem eius, qui a materna parte tantum coniunctus erat, petere licebat neque quisquam, si orbus relinquebatur, tutorem accipiebat e familia materna. Sicubi agnati deficiebant, gentiles in eorum locum succedebant. Vide L. Lange Roem. Alterth.[2] I p. 157, 189, 202.

Contra Athenis non omnia vincula cum genere materno discissa erant. Quando omnes, qui a parte paterna aliquem adtingebant, mortui erant, eorum officia implebant cognati. Vide Dem. adv. Macart. p. 1067. § 51.

Suspicor igitur Terentium hic mores patrios presse sequi voluisse: metuebat ne spectatores Romani mirarentur avunculum cognatam tutari, ne quaererent cur nemo, a parte

paterna cum orba coniunctus, ei prospiceret. Qua de causa hac in re a Menandro discessit, ceteroquin universas Hegionis partes integras servans.

Caput 4.

De fabulae oeconomia inde a IV 5 usque ad V 7.

Animadverterunt viri docti in hac fabulae parte inesse nonnulla, quae parum apte instituisse videatur poeta sive latinus fuit sive graecus. Unde, ut vulgo, statim decreverunt discessisse Terentium ab exemplari graeco, quod factum esse nego, cum mea quidem sententia nimis tribuerint mendis illis, quae sane leves sunt.

Ut hoc lectoribus palam fiat, breviter tangam rerum cursum in hac fabulae parte, notans scriptura insigni versus illos, qui ansam dederunt doctorum coniecturis.

Hegio, v. 351 a Sostrata auxilio vocatus, inde a v. 460 cum Demea colloquitur atque de facinore a filio perpetrato eum certiorem facit. V. 505 abit Demea, quaerens Micionem fratrem, in quem haec evomat; mox eundem Hegio, Sostratam consolatus, convenire cupit „si apud forumst". Multo post Demea redit, fratre nusquam gentium invento atque a Syro ludibrio habitus, dimittitur, ut iterum totam paene urbem pervagetur fratris quaerendi causa [1]).

Iam redux est Hegio cum Micione, qui Sostratae aedes intrat, ut corrigat peccatum a suis ortum (v 590—609). Cum exit Micio, fores pultantem offendit Aeschinum, a foro, quo

[1]) Haec est licentia quae vere comica dici potest. Quidni homo abiit ad forum, ut Hegio fecit, more in comoedia sollemni? Cur deinde a servo se falli patitur neque tunc saltem in forum abit, postquam iam satis in urbe circumerravit?

v. 277 profectus erat, reversum, ut Sostratae Pamphilaeque suspiciones dispelleret.

Aliquantulum illudit adulescenti, sed v. 696 imperat ei ut puellam ducat et v. 699, ut deos comprecetur uxoris arcessendae causa. Frustra Aeschinus conatur hoc munus deflectere in patrem, qui v. 706 domum suam intrat, hisce verbis filium compellans:

Ego eo intro, ut quae opus sunt, parentur: tu fac, ut dixi, si sapis.

Pauca etiam loquitur in patris laudem iuvenis, antequam ipse quoque v. 712 aedes suas intrat:

Sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet siem?

Hoc temporis momento Demea redit ab irrita ambulatione ac tandem occurrit Micioni, domum denuo relinquenti atque iis, qui intus sunt, dicenti v. 719:

Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram.

Micio Demeam conspicatur atque ei enarrat, quae circa Aeschinum Pamphilamque facta sunt, denique „hilarem atque lubentem" gnati nuptiis adesse iubet, post quae ad Sostratam abit v. 757:

Ego hos conveniam: post huc redeo.

Opus est iam nunc, ut oculi Demeae aperiantur, qui nondum dubitat de Ctesiphonis frugalitate. Eo consilio inducit poeta Syrum, qui v. 591 domum intraverat, ut diem cyathos sorbillans produceret atque nunc exit hisce verbis v. 765:

Sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc lubitumst.

Mox tamen a Dromone revocatur v. 776:

Heus, Syre, rogat te Ctesipho, ut redeas.

Filii vero nomine exaudito Demea in aedes irruit, Syrus in tutum se confert v. 784.

Quid ego nunc agam?
Nisi dum hae silescunt turbae interea in angulum
Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi: sic agam.

Interim exit Micio e Sostratae aedibus, hisce eam allocuta v 787:

Parata a nobis sunt, ita ut dixi, Sostrata,
Ubi vis.

Continuo Demea quoque Micionis aedibus exit, ubi filium cum psaltria potantem oppressit; aegre a fratre placatur, sed tandem precibus fraternis flecti se patitur. Cf. v. 853:

De. Iam iam desino.

Mi. I ergo intro et quoi rei est, ei rei hunc sumamus diem.

Brevi post denuo exit Demea incipitque soliloquium pulcherrimum, quo spectatores edocet, se in posterum operam daturum esse, ut comitate atque facilitate homines sibi conciliet. V. 882 Syrus loquentem interpellat, quem ita adloquitur Demea:

Quis homo? o Syre noster, salve: quid fit? quid agitur?

Eadem comitate, qua Syrum, etiam v. 891 Demea Getam excipit, sciscitantem an puellae deductio iam futura sit:

Era, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem
Arcessant.

Denique summa benevolentia ac gratia tractat filium Aeschinum, hisce verbis in scenam procedentem v. 899:

Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias
Student facere: in adparando consumunt diem.

atque eum rogat:

Quid agitur, Aeschine? Ae. Ehem, pater mi, tu hic eras?

Dissuadet filio nuptias morari apparatibus magnificis atque monet maceria in horto diruta puellam transferre. Quo nuntio excitatus exit Micio, mirans talia moliri hominem serium atque aetatis provectioris. At ne haec quidem Demeae sufficiunt; una cum Aeschino persuadet Micioni, ut Sostratam uxorem ducat, quod promisisse se ei adfirmat Aeschinus v. 940:

Fac. promisi ego illis. Mi. Promisti autem? de te largitor, puer.

Primum quaestio oritur, ubi Aeschinus per hanc fabulae partem degerit. Si versuum 706 et 712 tantum ratio habetur,

dubium esse non potest, quin patris aedes intraverit, ut deos comprecaretur antequam sponsam arcesseret. V. 899 quoque eum e paternis aedibus prodeuntem videmus. At hic nos revocat Dziatzko, Einl. p. 4, ad v. 940, quem sensu carere dicit, nisi statuas adulescentem prius cum Sostrata collocutum esse atque ei promisisse, se nuptiis illius operam daturum esse. Hoc vero colloquium locum habere non potest nisi postquam Micio matrimonium cum Pamphila commendavit, post v. 712 igitur. Unde concludit Dziatzko apud Menandrum post v. 712 fabulam aliter administratam esse debuisse quam apud Terentium.

Non desunt tamen quae Dziatzkonis sententiam amplecti prohibeant. Fac Aeschinum revera Sostratae aedes iniisse post v. 712, quis tunc deos comprecatus est? Ut hanc molestiam effugiat, Dziatzko expungit v. 706, Donati scholio fretus, qui huic versu adscripsit: „Hic versus in quibusdam non invenitur". Num igitur Micio ipse hoc comprecandi munere functus est, postquam abiit? Cui vero hoc credibile videbitur, cum post paucos vss. denuo redeat v. 719? Nihil molesti in eo est, quod hoc brevi temporis praeterlapsu servis imperaverit parare, quae nuptiis opus erant; id paucis verbis perfungi potuit, at magnopere offendimur, si tam perfunctorie atque celeriter re sacra fungeretur. Quando denique rediit Aeschinus, qui v. 899 iam domi est, a Sostrata? Conficitur autem res eo, quod sponsi munus erat, non soceri deos precari, ut nuptias faustarent.

Ne diutius in hac re morer, error Dziatzkonis ortus esse videtur e nimis anxia interpretatione v. 940, ubi hoc unum spectat Aeschinus, ut patri persuadeat, flocci non facit quomodo hunc finem assequatur sive „veriloquio" sive mendaciis. Cum optime nosset Micionis integritatem atque virtutem et sciret quam molestum ei esset, si aut ipse aut filius fidem promissam frangeret, virtutes has in commodum suum vertit adulescens atque ita senem in sententiam suam perducere conatur.

Non magis *Nencinio* hoc loco satisfecit Terentius, qua de causa p. 140 sqq. suspicatur apud Menandrum rem aliter atque melius institutam fuisse. „Post hanc scenam IV 5, inquit, „nonnulla in fabulae oeconomia ut a Terentio mutata esse „arbitrer, non levi adducor argumentatione. Micio v. 706 domum „intrat ut quae opus sunt ad nuptias parentur: exit post „paucos versus et omnia parata esse renuntiat, ut nupta, „ubi primum Sostrata velit, deducatur, v. 719, 787. Hoc iam „mirum pro temporis ratione. Sed gravius adferam. Postquam „Micio significaverat omnia sibi et filio in promptu esse ad „novae nuptae deductionem, multis insuper scenis interiectis, „filius haec ait v. 899 sq: „Occidunt me quidem dum nimis „sanctas nuptias student facere: in adparando consumunt „diem". Itane verum, etiamnum adparari quae multo antea „adparata esse renuntiabantur? Quodsi etiam reputaveris post „hanc scenam IV 5 itemque post v. 786 (sc. antequam Sostratae „domo exeat Micio) scenam vacuam relinqui, etsi novus actus „non exorditur, haec omnia apud Menandrum non ita „administrata fuisse iure suspiceris. Iam versus 706 — unde „patet Micionem domum suam ingredi — quibusdam manus„criptis defuit, Donato teste ad h.l. et versiculi 784—6 gravem „habent offensionem quippe quibus Syrus ambulatum egressus „v. 767 nulla nova addita causa domum reverti fingatur: unde „scena vacua fit. Quibus omnibus pensitatis res ita apud „Menandrum dispositae fuisse mihi videntur, ut Micio post IV 5 „in scena maneret et v. 757 Sostratam conveniret sciscitandi „causa quid de puerperae deductione statuendum esset; postea „vero v. 787 Sostratam paucis, dum exiret, adlocutus — paullo „aliter quam apud Terentium — Syrum in scena offenderet, „qui intercepta domini adventu ambulatione domum petere „cogeretur. Interim Demea defessus ambulando in scenam „redit fratremque conspicatur: novae de Aeschino querimo„niae exortae. Sed ubi senex nuptias Aeschini imminere, „Ctesiphonem in Micionis domo cum meretrice morari, cuncta

„denique sibi contraria sentit, rerum necessitati cedit invitus „(IV. 6—V. 3)".

Incipiam quaerere, quantum tribuendum sit offensionibus, quas in hac fabulae parte expertus est Nencinius, deinde exigam, an ratio harum rerum, qualem apud Menandrum fuisse sibi fingit, melius stare possit.

Primum non video, cur aliquis haereat in eo, quod Micio, qui v. 706 abierat, v. 719 redeat in scenam. Nonne temporis ei satis erat ut iussa daret servis? Nihil huic loco inest, unde iure offensionem capias. Vid. H. T. Karsten. Mnem. 1901. p. 373.

Quod adtinet ad alterum oppositum, de repugnantia inter v. 719, 787 et 899, fatendum est poetam hic neglegentiam quamvis levem admisisse. Non magni tamen momenti hanc esse efficitur ex tenore loci illius V 7., ubi poeta Demeae occasiones praebere studuit ostentandi liberalitatem atque largitatem novam inauditamque.

Deinde profiteor me parvi facere, quod scena post v. 712 et 787 vacua relinquitur. Dudum demonstravit Ussingius in Proll. Plautinis Plautum saltem nihil hoc curavisse; in alia comoedia bis terve vacua relinquitur, in alia septies aut etiam octies, in paucissimis tantum quinquies. Nulla fere fabula Plautina est, quae in quinque actus dividi potest. Cf. Leo, Quaest. Plaut. p. 209. Dziatzko de eadem quaestione apud Terentium egit Einl. Phorm. p. 45 sqq. atque eo pervenit, ut negaret Terentium in quinque actus divisisse fabulas suas. Leo adeo in opere, „die Plaut. Cantica" p. 112 scripsit: „Die Theorie der 5 Akte ist jeder richtigen Erkenntnis der Composition im Wege."

Denique Nencinius poetam vituperat, quod Syrus v. 786 nulla nova addita causa domum reverti fingitur. Mea quidem sententia hic v. d. in errorem incidit: sic enim se res habet. Syrus Ctesiphoni dixisse videtur se ante aedes prodeambulare velle; nam nisi hoc sciret Ctesipho, non iussisset Dromonem

conservum intus vocare v. 776. Prodeambulabat igitur; sed cum videret Demeam in aedes irruentem, constituit in tutum locum se conferre; simul tamen prope manere cupivit, ne dominum prorsus desereret. Hac de causa maxime idoneum ei videtur per posticulum sese insinuare in partem abditam aedium, donec tempestas paullulum placata sit. Cf. Dziatzko Ad. Einl. p. 13.

Postquam vidimus offensiones illas aut nullas esse aut prorsus leves, iam investigemus, an Nencinii suspicio de exemplari graeco aliquantum veri vel etiam probabilitatis speciem habeat. Putat apud Menandrum defuisse v. 706, remansisse igitur in scena Micionem. Attamen parum consentaneum videtur Aeschinum locuturum fuisse paternas laudes v. 707—711 coram ipso. Aeschinus igitur v. 712 Micionis aedes intrabat, Micio Sostratae; nam quod dicit Nencinius, senem v. 757 demum mulieres adiisse, ineptum est, quia apud Menandrum id temporis Demea nusquam erat, ut ille fabulam graecam fuisse sibi fingit. Cum v. 787 exiret a mulieribus Micio, paullo aliter eas adlocuta est, quam apud Terentium, scilicet ne molestum sit, quod Aeschinus v. 899 de nuptiarum tarditate queratur, cum hic iam omnia parata esse dicantur. Supersedit tamen dicere Nencinius, quid locutus sit Micio mulieri, quod nostra scire multum interesset. Sequuntur v. 763—766, quos Syrus loquitur in scenam procedens; statim vero a domino domum repetere cogitur. Nunc iam Demea redit ab ambulatione irrita fratremque conspicatur; apud Menandrum igitur tunc sequebatur colloquium, quod nunc legitur v. 713—762. Si ita res instituta erat, quaerendum, quomodo in exemplari graeco Ctesiphonem intus potantem cum psaltria detexerit Demea. In hac autem re fabulae cardo vertitur; nam Demea fiduciae plenus confidensque est quamdiu tantum Aeschini facinora scit, sed cum intelligat non magis frugi esse Ctesiphonem, quem ipse educavit ac iuvenem honestum modestumque ducit, constantia eius labefactatur atque fratri manus dare cogitur.

Haec reputanti Nencinii opinio mihi prorsus reicienda videtur. Omnino parum plene et perspicue mente sibi proposuisse videtur, qualis apud Menandrum condicio rerum futura esset, si mutationes ab ipso propositae inducerentur. Tantum operam dedit, ut molestias atque offensiones, quae ipsi videbantur, vitaret, securus an in graviores incideret.

In iis, quae sequuntur, finis scenae V 3 ita comparatus est, ut Dziatzko persuasum sibi haberet, Terentium illic v. 854 exemplar graecum deseruisse. Cf. Ad. Einl. p. 4. „Ich kann freilich nicht verhehlen, dass Menander sehr wahrscheinlich den Demea nach V sc. 3 (der vulgata) gar nicht die Bühne verlassen liess. Den Syrus hat er nämlich im Hause auch nicht gesehen (S. v. 883) und zu welchem Zwecke er V sc. 4 (sc. 1 Fleck.) wieder aus dem Hause des Bruders heraustritt, ist mit keinem Worte angegeben und um so auffälliger, als er v. 882 wieder zurückgerufen wird".

Argumenta autem, quibus opinionem suam corroborare studuit, parum firma videntur. Efficit e v. 883 et 901 Demeam non ante conspicatum esse Aeschinum et Syrum, qui id temporis intus erant, unde ei necessario sequi videtur senem Micionis aedes non intrasse. Recte contra haec monuit Nencinius p. 142 not. 1, ironicam esse salutationem. Ceterum idem iam senserat Donatus. Cf. ad v. 884. „Iam non haec blanda, sed dura sunt. Nam „Salve" dixit ei non solum quem saepe viderit, sed cum quo totiens litigaverit „Quid fit? Quid agitur?" Interrogat et quum sciat et quum damnet actus eius" [1]).

[1]) Rogat Nencinius p. 142. not. 1, cur hic senis mutatos mores non admirentur Aeschinus et Syrus. Cui hoc respondeo, Syrum hominem vafrum laete accipere domini insolitam benevolentiam neque admittere quaeritando, unde mutatio illa orta esset, ut denuo in iram prorumperet senex. Quod ad Aeschinum adtinet, ne huic quidem tempus aptum visum esse debuit hanc in rem inquirendi, semel comperto Demeam nuptiis adsentiri cf. 902—905, cuius praeterea animus totus in eo erat, ut puellam deduceret.

At etiamsi illos in aedibus non vidisset Demea, tamen optime intus esse potuit. Quis enim comoediam ad veritatis leges exigere sustinet? Quis non agnoscit, nullam fabulam stare posse, si postulamus in scena omnia sic nobis proponi, ut rerum, locorum, temporis ratio examussim conveniat cum veritate? Poetae necesse est in arto temporis spatio multas diversasque res spectatoribus repraesentare, quae si revera fierent, multo amplius temporis spatium postularent. Compluria exempla facile suppeditant. In hac fabula Micio v. 154 ad forum abit, ut Aeschinum conveniat; frustra tamen eum quaerit, quamquam filius v. 277 eodem profectus erat. Nihilominus per aliquantum tempus simul ibi fuerunt, quia Micio cum Hegione v. 591 inde redit et Aeschinus item v. 610. Exemplum alterum praebetur in V 2; illic intra quinque versus, 782—787, Demea in aedes irruit, filium cum amica opprimit, eum vituperat atque reprehendit et denuo in scenam properat. Denique etiam laudo Poenulum, Plauti fabulam; ibi in scena, tota ex exemplari graeco desumpta III. 6 (v. 602), cenam, militi destinatam, qui in proximo conclavi expectat, dum intus vocetur, Collabiscus comedit; hoc nemo animadvertit, quamquam medius dies est et servi multi domi sunt, omnes mira ratione somno sopiti.

Iam ad propositum revertor: alterum Dziatzkonis argumentum est, quod Demeae causa nulla erat, cur foras procederet; etenim statim a Syro domini iussu revocatur. Nencinius autem p. 142 not. 1, nos respicere iubet hominis indolem, qui „cum ab domo sua et opere rustico longe absit, uno loco otiosus consistere nequit et huc illuc cogitabundus fertur".

Quamquam non negaverim hanc excusationem lepide inventam esse, non tamen sufficere mihi videtur ad Dziatzkonis sententiam refellendam.

Equidem contra Dziatzkonem contendo, si artis naturaeque humanae leges spectes, necessarium esse, Demeam paullulum saltem solum secum reputare, colligere se, postquam compererit

filium, quem exemplar vitae antiquae sibi finxisset, nequitia aequalibus non cedere. Hac enim re instituta omnia, quibus vitam suam adhuc regebat, concussa atque paene subversa erant. Cuique evidens est, quam apte hoc a poeta administratum sit, ut hominem, in tali condicione versantem, segregatum ab aliis cogitare de eo, quid sibi in posterum faciendum esset, faceret. Molestum quodammodo esset, si Demea continuo, nullo intervallo interposito, post colloquium cum fratre v. 855 ea loqueretur, ex quibus spectatoribus palam fiat eum novam indolem ingeniumque induisse [1]).

Denique nulla causa est, cur Dziatzko miretur Demeam a Syro revocari; oeconomiae causa fit, ita ut supra v. 776 Syrus a Dromone revocabatur. Syri enim adventu Demeae facultas datur, novos mores ostentandi.

Haec credo sufficiunt, ne quis assentiendum putet Dziatzkoni, contendenti hoc loco Terentium discessisse a Menandro. In universum monendum est rationem esse audacem et paene dixerim temerariam, si cui quid vitiosum aut hiulcum videatur, continuo clamare: hoc uni Terentio adtribuendum est, depravanti exemplar graecum, mendis naevisque omnino vacuum. Nisi Donatus testimonium praebeat aut argumenta, e fabulae oeconomia petita, certa aut dubitationi vix obnoxia, suppeditent, cavendum, ne hanc viam ingrediamur. Plerumque vero luculenter apparet, quantum incerti in se habeant coniecturae illae, si eas excutis penitusque enucleare studes, quae ratio Menandrea fuerit; nempe si quis suspicatur quiddam immutatum fuisse a Terentio, continuo inde sequitur, etiam multo plura eum aliter instituisse. Alioquin mutatio illa spectatorum animos advertere atque adeo offendere debebat, quippe quae reliquae fabulae parum responderet. Compositio enim fabularum

[1]) Minime accedo Nencinio, qui p. 142 not 1 putat Demeam „satis iam debacchatum ad consilium adsimulandae clementiae transisse." Debacchatione animus etiam magis irritari solet, praesertim viri vehementis atque pertinacis, qualis Demea est.

plerumque tam artificiosa atque apta est, ut impune nihil auferre aut demere possis.

Caput 5.

De Demeae mutatis moribus.

Quicumque Demeae indolem, quam expressit poeta in actu quinto, comparat cum illa, quam prae se fert in actibus superioribus, non potest quin sentiat eam paene versam esse in contrarium. Cum autem de vera Demeae indole eiusque conversione valde differant doctorum sententiae, operae pretium erit quaerere, quomodo praeparata sit haec mutatio a poeta et quae revera indoles sit Demeae in fabulae fine: inde enim pendet iudicium, quod nobis ferendum est de comoediae catastrophe.

Si primum quaerimus, quid Donato visum sit de hac quaestione, percipimus illum existimasse Demeam sibi constare per totam fabulam neque in fine indolem revera mutasse, sed hoc simulasse, ut fratrem filiosque in errorem induceret. Cf. Ad. Argum. „Servatur autem per totam fabulam mitis Micio, saevus Demea, Leno avarus, callidus Syrus, timidus Ctesipho, liberalis Aeschinus, pavidae mulieres, gravis Hegio". Plura huc faciunt in commentario, quo fabulam nostram illustravit, velut V 3. 53 *Scilicet, ita tempus fert: faciundumst.* „Vide, si non hoc sit, quod Graeci μισοκαλήμερον dicunt: nam sic et *„ita tempus fert"* et *„faciundumst"* dicendo ostendit se magis cogi necessitatibus, ut paullo sit tranquillior. Et cum tanta difficultate promittit, tamquam mala subiturus sit". V 9. 35 *Sed si id voltis potius quae vos propter adolescentiam minus videtis* eqs „Hic ostendit Terentius magis

Demeam simulasse mutatos mores, quam mutavisse". V 9. 39. Ae. *Sed de fratre quid fiet?* De. *Sino: habeat; in istac finem faciat* „Haec quidem promissio est, sed et exceptionem in se continet et cum quodam stomacho et velut minaci denuntiatione profertur".

Donato assensus est *Lessingius*. Cf. Hamb. Dramat. St. 71. „Nachdem Micio den Demea durch die triftigsten Vorstellungen zu besänftigen gesucht, bittet er ihn, wenigstens auf heute sich seines Aergernisses zu entschlagen, wenigstens heute lustig zu sein. Endlich bringt er ihn auch so weit; heute will Demea alles gut sein lassen; aber morgen, bei früher Tageszeit, muss der Sohn wieder mit ihm aufs Land; da will er ihn nicht gelinder halten, da will er es wieder mit ihm anfangen, wo er es heute gelassen hat; die Sängerin, die diesem der Vetter gekauft, will er zwar mitnehmen, denn es ist doch immer eine Sklavin mehr, und eine, die ihm Nichts kostet; aber zu singen wird sie nicht viel bekommen, sie soll kochen und backen. In der darauf folgenden vierten Scene des fünften Aktes, wo Demea allein ist, scheint es zwar wenn man seine Worte so obenhin nimmt, alsob er völlig von seiner alten Denkungsart abgesehen und nach den Grundsätzen des Micio zu handeln anfangen wolle. Doch die Folge zeigt es, dass man alles Das nur von dem heutigen Zwange, den er sich anthun soll, verstehen muss. Denn auch diesen Zwang weiss er hernach so zu nutzen, dass er zu der förmlichen hämischsten Verspottung seines gefälligen Bruders ausschlägt. Er stellt sich lustig, um die Andern wahre Ausschweifungen und Tollheiten begehen zu lassen; er macht in dem verbindlichsten Tone die bittersten Vorwürfe; er wird nicht freigebig; sondern er spielt den Verschwender; und wohl zu merken weder von dem Seinigen noch in einer andern Absicht, als um Alles, was er Verschwenden nennt, lächerlich zu machen. Dieses erhellt unwidersprechlich aus dem, was er dem Micio antwortet, der sich durch den

Anschein betrügen lässt und ihn wirklich verändert glaubt. V 9. 27."

Si hanc docti grammatici Lessingiique opinionem probamus, nihil iam est, in quo haereamus. Contra res satis impedita est, si in contrariam partam abimus, ut mihi nihilosecius faciendum videtur. In soliloquio pulcherrimo, V 4, rationes exponit Demea, quae eum induxerunt, ut „vitam duram, quam adhuc vixerit, omitteret." E fratris enim exemplo perspexit, quanto utilior sit facilitas atque clementia, quam duritia atque morositas, quibus ipse semper studuerit. Omnium amorem consecutus est Micio, cum ipse evitetur et metuatur ab hominibus. Denique filius dilectus Ctesipho, quem paternae disciplinae exemplar esse sibi persuaserat, a vitioso fratre eo tantum differt quod clam committit, quae ille palam. Cum hae cogitationes uno temporis momento in eum irruant atque constantiam percutiant, non miramur sane hominem serio dubitasse, an vitae ratio, quam adhuc secutus sit, unice vera esset. Iam ipse etiam obsequium servorum, filiorum amorem, omnium denique benevolentiam, quos prudens vel imprudens offendit, sibi comparare conatur. At iam in ipso conatu intelligit, se quadamtenus praeter naturam agere. Vide v. 884.

Iam nunc haec tria primum addidi
Praeter naturam: „O noster, quid fit? quid agitur?"

Quomodo enim vir sexagenarius, etiamsi omnes vires intenderet, tam subito animum mutare atque pro duro atque saevo mitis ac clemens evadere posset? Non potest derepente aliam indolem induere, quam per totam vitam exhibuit. Dum tamen nititur hoc facere, modum excedit atque ridiculus fit, veluti cum iubet maceriam, quae Sostratae Micionisque aedes dividit, diruere aut cum Micionis nuptias properat; denique cum Syrum manumitti iubet. Deinde alia res est, cuius rationem habere debemus. Homines ad invidiam erga feliciores prompti sunt atque siquis videt, alteri vitam iucundiorem atque amoeniorem evenisse quam sibi, proclivis est

ad illius vitia causam referre. Quod ipsum accidit Demeae. Nequaquam infitias ire audet Micionis vitam praeferendam esse suae atque illius disciplinam meliores adhuc fructus tulisse quam suam; at existimat, ex nimia indulgentia amorem omnium, quo frui illum sane fatetur, ortum esse; laudi igitur non ducendum esse. Vide v. 986—989:

Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivom putant.
Id non fieri ex vera vita neque adeo ex aequo et bono,
Sed ex adsentando, indulgendo, largiendo, Micio.

Purgat denique se ipse in sequentibus atque quodammodo concedit antea se errasse atque nimis severum et parcum fuisse; at defendit se id fecisse, quia sibi penitus persuasum habebat, ita recte sese agere. Vide v. 989—995:

Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisa, Aeschine, est,
Quia non iusta, iniusta prorsus omnia omnino obsequor,
Missa facio: ecfundite, emite, facite, quod vobis lubet.
Sed si id voltis potius, quae vos propter adulescentiam
Minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Haec reprendere et corrigere me et secundare in loco:
Ecce me, qui id faciam vobis.

Exposito quid ipse sentiam de actu quinto, singillatim doctorum suspiciones persequar, qui ut assolet in diversissimas partes abierunt. Fuit etiam qui, cum Menandro indignum iudicaret, ita mutari Demeae mores, ut hic fieri videmus, totum actum quintum uni Terentio adscriberet.

Guil. nempe *Fielitzius* in Fleck. Ann. a. 1868 vol. 97, p. 678 sqq. censet fabulam Menandream finitam fuisse post V 3, cum Ctesipho et Aeschinus uterque spe potiti essent Demeaque esset placatus. „Es ist mir ein Bedürfniss, inquit, den Ruhm der Menandrischen Poesie von einem Flecken zu säubern, mit dem der „dimidiatus Menander" den echten verunreinigt hat. Mit dem Ende des vierten (Fleckeisenschen) Aktes ist die Fabel unseres Stückes zum Abschluss gekommen; die Heirat des Aeschinus hat die Zustimmung beider Väter gefun-

den, Demea ist besänftigt und wird am folgenden Tage mit dem frühesten sich mit seinem Sohne und der psaltria aufs Land zurückziehen und wenn nach dem letzten Verse des Micio: „I ergo intro et cui rei est, ei rei hunc sumamus diem" der Cantor mit dem „Plaudite" schlösse, so könnten wir dieser Aufforderung im Bewusstsein ein nach Komposition und Zeichnung uns durchaus befriedigendes Stück gelesen zu haben, aus voller Ueberzeugung nachkommen. Statt dessen werden wir noch einen ganzen Akt hindurch mit allerlei kleinen und grossen Gunstbezeugungen unterhalten, die ganz natürlich mit der Heirat und der schliesslichen allgemeinen Aussöhnung zusammenhängen, die aber weit wirksamer der ausmalenden Phantasie der Zuschauer überlassen blieben und die um so mehr unsre Verwunderung erregen, als sie gerade von dem ausgehen, von dem man sie am wenigsten erwartet, von Demea". Deinde pro argumento usus est scholio Donatiano ad V 8, 13 „Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur", quod ei significare videtur, apud Menandrum seni nullam exhiberi molestiam propter nuptias atque adeo ne locum quidem habuisse apud eum matrimonium. Porro sibi persuasit Terentium, Menandro obsequentem, Micioni favere atque eum praeferre omnibus, quorum partes aliquae sunt in fabula nostra; cum autem in actu quinto Demea generositate atque liberalitate Micioni superior fingatur, negat hanc inconstantiam imputandem esse Menandro et hoc quoque argumento, quod gravissimum habet, inducitur ut partem illam a poeta Graeco abiudicandam esse censeat.

Vix est quod moneam me Fielitzio non assentiri, immo sententiam eius prorsus reicere. Quod enim dicit „Es ist mir ein Bedürfniss usw.", iam supra me ostendisse spero Demeae indolem recte atque probabiliter expressam esse a poeta latino. De argumento altero e Micionis nuptiis ducto mox agam. At concedamus paulisper viro docto compositionem partis extremae mancam atque hiulcam esse; unde sibi

sumpsit, ut vitia haec uni Terentio tribueret absolveretque Menandrum? Vix credibile est Donatum supervacaneum duxisse indicare, actum V totum poetae Romano deberi, necdum mentionem feci fragmenti, a Photio servati (XII M)., quod spectat V 4. 12—13. Hoc solum sufficeret ad Fielitzii opionem refellendam. Quod Klasenus autem p. 9, Fielitzium impugnans, laudavit Donati scholium ad V 9. 28, ubi vox „prolubium" explicatur graeca voce προθυμία, ad Menandri auctoritatem nullius momenti est, quandoquidem prorsus incertum est, Donatum, sicubi vocem latinam subobscuram explicat glossa graeca, illam hausisse e Menandro.

W. S. Teuffelius l. c. p. 286 sqq. longis ambagibus utitur, ut fabulae finem illustret. Constare ei videtur Terentium idcirco hanc comoediam elegisse ad vertendum, quia Micionis mores ingeniumque convenirent moribus atque vivendi rationi Scipionum amicorumque, quos e prologis Terentianis atque vita Suetonii scimus poetae patrocinium suscepisse. Micioni contrarius atque oppositus est Demea, exemplar morum antiquorum, homo stolidus ac fatuus, liberalitate atque humanitate omnino carens. Vincitur Demea nec tamen finis imponitur comoediae. „Mit diesem Siege, inquit, der neuen Zeit ueber die alte sollte man meinen, dass das Stück schliesse; aber diese neue Zeit selbst ist sich in dem griechischen Dichter zu sehr ihrer inneren Hohlheit, Nichtigkeit und Unfähigkeit bewusst und empfindet die Wirkungen davon zu oft und zu schmerzlich, als dass sie stolz und siegesgewiss auftreten könnte. Nachdem daher in dem Stücke die neue Zeit ueber die alte triumphiert hat, so triumphiert (ähnlich wie in Aristophanes' Wespen) nachträglich auch noch die alte über die neue: Demea, der eben erst den Micio wegen seiner Denkart glücklich gepriesen hat V 3. 66, der ganz zu dieser bekehrt schien (V 4.) unterfängt sich den Micio ad absurdum zu führen, ihn durch die Consequenzen seiner Grundsätze zu widerlegen, von der Schädlichkeit seines Verfahrens zu ueberzeugen und den Beweis zu

führen dass nicht wahres Wohlwollen, sondern Schwäche die Triebfeder von Micio's Handeln gewesen sei und dass es keine Kunst sei auf solchem Wege die Liebe anderer zu gewinnen. Indem so auch Demea zu seinem Rechte kommt, genügt das Stück scheinbar einer Forderung der Gerechtigkeit, in Wahrheit aber entrichtet es dem Nihilismus seinen Zoll und bekundet die geistige und sittliche Erschöpfung, die Ausgebranntheit der Zeit, aus der es stammt, ihre ewige Unfähigkeit Partei zu ergreifen, ihre blasierte Stellung angeblich über, vielmehr aber unter den Gegensätzen, ihren absoluten Skeptizismus". Iam exponam, quae mihi obstare videntur, quominus Teuffelii sententiam amplectamur. Dicit de Demea: „Demea, der bekehrt *schien*". At quam satis validam causam adducere potest Teuffelius, ut statuat in V 4 Demeam simulavisse neque vere Micioni manus dedisse? Atqui nisi hoc demonstretur, tota eius ratiocinatio corruit.

Postremo paucis tangam *Nencinii* opinionem, qui putat indignantem atque doloris plenum locutum esse Demeam, quae leguntur a v. 859—880, revocans lectores ad Donati verba in fabulae argumento: „Servatur per totam fabulam mitis Micio eqs" Porro ex V 4. 23. V 8. 35 [1]) efficit p. 143 „non pristinam vivendi rationem deserere Demeam, sed perpetuo sibi constare atque instituta antiqua servare". Sed manifestum est hos locos aliter explicari posse, immo debere. Inest sane in his versibus aliqua invidia et apertum vituperium eorum, qui obsequio amicos comparant. Sed quid mirum, si invidia homini oborta est erga fratrem, cum illum dando et obsequendo ab omnibus diligi animadverteret, se ipsum

[1]) Age, age nunciam experiamur contra, ecquid ego possiem
Blande dicere aut benigne facere, quando hoc provocat.
Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo:
Si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram.

Suo sibi gladio hunc iugulo.

odio esse et desertum? Idem evincere conatus est Nencinius e v. 986—88, de quibus supra p. 53 egi. Hoc tantum etiam monere velim, parum recte agere Nencinium, cum illos versus modo laudat, qui vero sequuntur et eiusdem momenti sunt atque priores (v. 989 sqq) omittit? Ex iis enim apparet Demeam manus dare filiis neque pro auctoritate paterna atque adeo imperio, ut antea consueverat, iubere, eos parce modesteque vivere, sed rogare atque monere, ut sibi, viro maiori natu atque experientia praedito, morem gerant atque obediant.

Quod denique ex Micionis verbis in ultimo fabulae versu efficit [1]), utrumque fratrem in sententia sua manere, non ei assentior. Nam etiamsi demus Nencinio verba illa ad psaltriae donationem unice pertinere, non sequitur inde recte Nencinium coniecisse de Micionis mente. Nequaquam enim necesse est Micionem, si paullo aliter iudicaret de illo: „adsentando, indulgendo, largiendo", longiore oratione fratrem refellere et, velut apud iudices, pluribus ostendere, se modum semper tenuisse in largiendo. Etenim si primo fortasse miratus esset, cum Demeam v. 985—88 in se invehentem auscultaret, admiratio prorsus tollebatur versibus sequentibus, quibus Aeschinum adloquitur; inde enim apparet eum quasi transfugere ad Micionis vivendi rationem. Ne diutius in hac quaestione morer, quae causa fuisset Micioni, cum videret fratrem errorem agnovisse atque animum induxisse ut se corrigeret, cum ipse quoque sibi conscius esset, se quoque fortasse peccasse in contrariam partem, in fabulae fine demonstrare verba illa exaggerata esse? Micio, quae eius erat prudentia, norat certe quam difficile esset viro, qui non tantum semper sibi consti-

[1]) Vide p. 143: „Nec Demea nec Micio triumphat, sed in sua uterque sententia manet et silentium Micionis quo spectet e v. 977 (Mi. Istuc recte.) perspicitur. Fratrem laudat Micio, quod Ctesiphoni psaltriam permittat: hoc unum curat, cetera nihili facit. Ergo neque victus erat neque a consuetudine sua recesserat".

terat, sed hac constantia etiam gloriatus erat, seni iam, victum se esse fateri.

Iam finem huic disputationi imponere libet, qua hoc saltem me evicisse spero, stulte atque temerarie agere eos, qui fabulam truncare atque mutilare conantur. Hoc enim est, quo Adelphi ceteris comoedis praestant, quod non solum res amatoriae in scena tractantur, sed etiam senes illi duo, vitae institutis atque rationibus quasi inter se certantes, inducuntur.

Caput 6.

De Micionis nuptiis.

Disquisitione, quae praecedit, viam munivi alteri, de Micionis nuptiis. Ad V 8. 15 enim,

Mi. Ego novos maritus anno demum quinto et sexagensimo
Fiam atque anum decrepitam ducam?

Donatus adnotavit: „Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur, ergo Terentius εὑρετικῶς."

Interpretatio horum verborum, a prima fronte satis plana, multas magnasque molestias exhibuit viris doctis. Lessingius, Boettigerus, Benfeius, Meinekius „gravatur" passiva vi enuntiatum esse putant; vertunt igitur: „Bij Menander wordt de grijsaard niet lastig gevallen met het huwelijk". Contrarium sustinuit primus Colmannus, editor Brittanus, quocum faciunt Grauertus p. 147, Teuffelius p. 286, Koenighoffius, reliqui denique omnes, qui hanc rem tractaverunt. Vertunt: „Bij Menander maakt de grijsaard geen bezwaar tegen het huwelijk". Auditis horum virorum nominibus cuivis manifestum erit molestissimum esse statuere, quis verus sensus sit. Difficultas

autem in eo sita est, quod vis passiva, quamquam saepissime ut deponens usurpatur gravandi verbum, tamen non prorsus exolevit, sed sentitur etiam neque multum interest, quod ad significationem, utrum passiva vi utaris, an deponenti. Addita tamen praepositio „de" imprimis me adduxit, ut Colmanni sociorumque sententiam probarem; comparari enim potest *gravari de* cum *dolere de, flere de, laetari de.* Ceterum suspicor Donatum mutuatum esse verbum e v. 19 „ne gravere", quod ipse explicat per: „ne te difficilem praebeas;" unde concludo Donati verba sic interpretanda esse: „Apud Menandrum senex non difficilem se praebet de nuptiis". Exempla vero, quibus Nencinius p. 146 Lessingii opionem refellere conatur, mihi parum luculenta aut certa videntur. Etenim in scholio Iuvenaliano II. 6. 260 „etiam sericis vestibus gravantur sc. mulieres", item in Donati adnotatione ad Eun. IV 2. 9: „Iam causa est, cum biduum gravetur loco tristi, cur solatium conquirendum" eodem iure pro passivo haberi potest verbum atque pro deponenti.

Constat igitur apud Menandrum Micionem non difficilem se praebuisse de nuptiis. Unus est Koenighoffius, qui p. 17 poetam graecum rem sic bene instituisse dicit: „Menander hic quoque ἦθος Micionis servandum censuit et qui semper omnibusque fere facilis erat aliorumque voluntati morem gerebat, hunc Demeae fratris eiusque filii precibus haud ita difficulter cedentem induxit" Nequaquam mihi hoc probandum videtur; etenim in reliqua fabula videmus sane eum esse virum bonum atque ab omni severitate alienum, sed tamen nusquam aliorum opinionibus valde obsequentem neque inconstantem aut voluntatis incertae. Conclusio inde infertur, nuptias illas miras, ne dicam ineptas esse. Vide Lessingium Hamb. Dramat. St. 100. „Der blosse Einfall der Heirat macht uns Anfangs zu lachen; wenn wir aber endlich sehen, dass es Ernst damit wird, dass sich Micio wirklich die Schlinge ueber den Kopf werfen laesst, der er mit einer einzigen ernst-

haften Wendung haette ausweichen können, wahrlich, so wissen wir kaum mehr, auf wen wir ungehaltener sein sollen, ob auf den Demea oder auf den Micio. Vide etiam Fielitz. Fleck. Ann. vol. 97. p. 681.

Quibus pensitatis, dum simul studebam Donati scholium integrum servare a correctionibus arbitrariis neque tamen Menandro imputare, quod Terentio indignum haberetur, in hanc cogitationem incidi. Quid obstat, quominus credamus apud Menandrum *ioco* respondisse Micionem Demeae, se paratum esse aniculam ducere atque illum tunc rem omisisse? Interpolavit igitur poeta latinus v. 11—24 (934—946). Certe in fabula nostra offendimur Micionem, qui modo manus dederat in re gravissima, derepente in re parvi momenti, agelli donatione, negotia exhibere, praesertim cum bene nosset Hegionem ut virum bonum honestumque. Si quis forte mihi obiciat scholium adscriptum esse v. 15 (938), nihil moror, cum saepe scholia suo loco mota sint atque huic nihil insit, quod tantum pertineat ad versum illum; nam in praecedentibus iam gravatur senex. Causa, cur Terentius ab exemplari graeco discesserit, manifesta est: cupide occasionem arripuit inserendi scenam,quae spectatoribus Romanis lepida atque festiva videri debebat. Denique vix est quod dicam bene sese excipere v 11 et 24.

Fatendum tamen est, Terentium hoc additamento famae suae parum consuluisse et dum scenam ludicram interponeret, imprudentem admisisse, ut dubitaremus et de Micionis et de Aeschini indole. Nam qui IV 5. 76 dixerat de patre:

Itaque adeo magnam mi inicit sua commoditate curam:
Ne forte inprudens faciam quod nolit, sciens cavebo.

non hic iam omnibus modis eum decipere velle potest.

Recognoscam nunc iam, quae ab aliis in diversam partem disputata sunt, qui, cum optime intelligerent prorsus incredibile esse apud Menandrum senem omnino non restitisse nuptiis, sibi persuaserunt facile difficultatem, quam praebet scholium Donatianum, sublatum iri, si statuerent apud Menandrum paullisper atque imbecille senem nuptias recusasse.

Ihnius p. 31. dicit: „Merito mirere, apud Menandrum senem de nuptiis non gravari, quod prorsus est contra artem. Nam id agitur, ut exsuperet fratrem liberalitate et comitate Demea idque ut Micio aegre ferat vel certe nimium arbitretur esse. Quapropter et V 8. 1. subirascitur Demeae, quod is maceriam in horto dirui iusserat V 7. 10, et V 7. 27 invitus Hegioni agellum concedit et V 9. 3. manumissione dignum esse Syrum aegre concedit. Hanc ob causam etiam nuptiis aliquantum certe refragari senem prorsus necesse est. Praeterea autem si apud Menandrum omnino non gravari senem dicere voluit scholiasta, cur id adnotavit ad v. 15, non 10, ubi gravari Micio incipit? Scilicet, quia non scripsit, quae nos hodie legimus, sed non *tantopere* senem aut *alio modo* gravari apud Menandrum".

Quam lubrica et infructuosa sit haec ratio supplendi textus antiquos ex opinione, quam nobis finximus de probabili locorum sententia, hic denuo apparet, cum Ihnius duo supplementa proponat, nequaquam similia et *Nencinius* tertium rursus diversum, qui ita restituendum censet scholium: „senex de [hinc] (d'ora in poi) nuptiis non gravatur" sive „[exin]de". Reputare nos iubet p. 145 „illud *εὑρετικῶς* nimium esse pro adaucta repugnantia senis nisi de additamento manifesto atque intra certos fines constituto fidem faciat;" v. 938—944 igitur additos esse a Terentio. Laudat ad hanc suam opinionem firmandam Donati scholium III 4, Hecyrae fabulae praemissum: „in hac scena, donec perveniat ad Pamphilam Parmeno, hoc *εὕρημα* inducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio". Unde hoc tantum tuto efficere licet poetam

graecum interposuisse descriptionem malorum navigationis, quae non omnino necessaria sit contextui, at nequaquam scholium hoc probat Terentium auxisse exemplar graecum „additamento intra certos fines constituto". Porro suae suspicioni favere dicit, quod „ut supra vidimus sc. ad I 1. 18 Terentius Micionem finxit nuptiis apertissime repugnantem: consentaneum erat igitur et nunc repugnantiam eius exaggerari". Quantum huic argumento tribuendum sit, postea videbo p. 63.

Diligentiae causa etiam commemoranda Gröhii sententia Mus. Rhen. Vol. 22. p. 640; iste opinatur v. 928—946 interpolatori deberi, cui ansam praebuit v. 940, quem loco suo, nempe post v. 955. movit. „Wir sehn der Interpolator hat auch hier wieder einen Witz machen wollen und zwar dadurch, dass er v. 940 an jene Stelle gerückt hat, wo er jetzt steht und wohin er gar nicht gehört. Largiri nämlich, wenn es Micio von sich selbst sagte, wäre der Ausdruck eines noch dazu ziemlich flachen und nüchternen Humors, der ihm wahrhaftig dort fern liegen muss; von dem agellus aber gesagt, passt es ausgezeichnet. Ausserdem erscheint es sehr zweifelhaft ob man largiri alicui aliquem selbst metaphorisch sagen könne; ich gestehe, dass ich es nicht glaube." Hariolatur Gröhius, cum largiri absolute positum sit neque mente supplendum obiectum aliquid. Hoc iam sufficeret ad coniecturam eius improbandam, quae omnino stare nequit propter Donati scholium.

Caput 7.

De fragmentis graecis ad Adelphos referendis.

Supersunt apud scriptores graecos fragmenta compluria Menandri aliorumque, sed saepius non est additum fabulae nomen unde fluxerint. Quanta prudentia sit agendum in loco certo tali fragmento adsignando, mox apparebit, cum videbimus doctos in diversas sententias abiisse de uno eodemque fragmento. Huc accedit, quod duae fabulae extiterunt Adelphorum titulo. Priorem Plautus vertit in Sticho, alteram Noster in hac fabula, quocirca etiamsi nomen fabulae fragmento additum est, interdum vix dignosci potest, ad utram fabulam fragmentum pertineat [1]). Praeterea Donatus hic illic servavit graeca quaedam, plerumque miserrime corrupta.

Recognoscam nunc singula fragmenta, *Meinekii* numeros in ed. maiore secutus atque enucleabo, quantum fieri potest, quo referenda sint.

Ad. I. 1. 18/9 Mi. Quod fortunatum isti putant,
Uxorem nunquam habui.

Donatus adnotat: „Romani scilicet, qui coelibem quasi coelitem dicunt. Et item Graeci, apud quos sunt huiusmodi sententiae: ΕΤΤΑ ΦΙΛΟΣΕΧΟΙΝΟΝΙΩΝΠΩ ΛΟΥΜΕΝΟΝ. Etalibi. ΓΑΜΕΙΠΑΜΦΙΛΟΣΓΑΜΕΤΤ ΩΚΑΤΑΡΙΑΝΑΙΚΝΣ ΕΝΜΕ. – Dicit autem Romanis id videri, quos spectatores habet. Menander. ΤΩΜΑΝΚΑΡΤΑΝΜΥΓΙΝΕΚΑΟΡΑΜΒΑΝΩ". Omittam iam sententias duas priores quas perincertum est ad

[1]) Fr. Schoell Fleck. Annales Vol 119 p. 45 hoc probabile reddidit his argumentis. 1⁰. Scholium est ad Platonem p. 319 B K, ubi commemorantur Ἀδελφοίβ′. 2⁰. Didascalia Stichi, a W. Studemund ex Ambrosiano eruta „Adelphoe Menandru" iniuria a Ritschelio Parerg. I. 270 in „Philadelphoe" mutata. 3⁰. Fragmenta, quae ex Adelphis fluxisse dicuntur neque conveniunt in fabulam nostram, aptissime collocari possunt in Sticho.

fabulamne nostram pertineant; de tertio item versu dubitare par est. Vide Ihnium p. 28, Klasenum p. 12. Omnia autem recte se habent, si Dziatzkonis emendationem probas. Etenim maior pars eorum qui operam collocarunt in verbis Menandreis emendandis, ita versum constituerunt, ut discrepantia satis magna intercederet inter graeca et latina [1]), quae talis etiam visa est Ihnio et Klaseno, ut negarent locum Terentianum translatum esse ex iis, quae apud Donatum sunt. Nencinius minime negans aliquid interesse, hoc usus est argumento ad demonstrandum, data opera discessisse ab exemplari gr. auctorem latinum. Vide p. 136 „Micio apud Terentium, ut qui postea nuptias enixissime repulsurus sit, repugnantiam suam quamvis singularem aperte fatetur, apud Menandrum vulgi opinioni tantum concessisse contentus". Equidem nihil tribuo huic suspicioni, fretae tantummodo emendatione loci conclamati. Non minore enim veritatis specie Dziatzko p. 373 proposuit: *τὸ μακάριον δ'αὐτῶν γυναῖκ'οὐ λαμβάνω*, quibus probatis omnis differentia inter graeca et latina evanescit. Sed me iudice versus Menandrei condicio ea est, ut nihil nobis prosit in discernendo, utrum presse secutus sit graeca Terentius annon. [2])

Alterum fragmentum Οὐ *λυποῦντα δεῖ*
παιδάριον ὀρθοῦν, ἀλλὰ καὶ πείθοντά τι

a Stobaeo sine fabulae nomine servatum, rettulerunt Meinekius,

[1]) Bentleius *ὦ μακάριον μ'ὅτιὴ γυναῖκ'οὐ λαμβάνω*
Clericus *μ'ὅσπερ*
Grauertus *μ'ἐπεὶ*
Meinekius *μ'ὅστις*
C. F. Hermannus *μ'οὐ γὰρ γυναῖκα λαμβάνω.*
Ihnius *μ'ἐγὼ*
Nencinius *ἐγώ*
μακαρίζομ' οὐ γυναῖκα λαμβάνων ἔτι.

[2]) Viri clarissimi, in patria nostra linguae graecae peritissimi, quos consului de locis gr. a Donato servatis, responderunt se de probabili emendatione desperare.

Grauertus p. 137 ad I 1. 32, perperam mea quidem sententia, cum in fragmento sermo fiat de puerulo, qui educandus etiam sit a ludimagistro, at hic agat Micio, quomodo liberorum amorem aliquis sibi conciliet. Neque scopum tetigit Nencinius p. 136, comparans I 1. 49, omnino dissimilem.

Tertium fragmentum
Τίῳ προθύμως τἀξιούμενον ποιῶν
Κηδεμόν' ἀληθῶς, οὐκ ἔφεδρον ἕξεις βίου

item omisso fabulae nomine a Stobaeo laudatum, Meinekius comparat cum I 1. 47, Grauertus p. 137 cum V 4. 20, uterque parum probabiliter. Audacissime excogitavit Ihnius p. 29, cui Dziatzko in Ad. ed. ad h. l. adsentitur, fragmentum collocandum esse post I 2. 30, ibi vero a Terentio omissum fuisse. Talis suspicio neque demonstrari certis argumentis neque refutari potest. Ego cum Meinekio facerem, nisi prorsus dissimiles essent alter versus graecus et latinus I 1. 48; iure igitur dubites, an hoc fragmentum omnino ad Adelphos referendum sit.

Ad I 2. 13 Ladevicus Beitr. p 4. bene rettulit Men. frgm. inc. 506.
ἡ πόλις
ὅλη γὰρ ᾄδει τὸ κακόν.

Fragmentum quartum
Οὐ παντελῶς δεῖ τοῖς πονηροῖς ἐπιτρέπειν,
ἀλλ' ἀντιτάττεσθ· εἰ δὲ μή, τἄνω κάτω
ἡμῶν ὁ βίος λήσει μεταστραφείς ὅλος.

cui lemma additum Μενάνδρου Ἀδελφοῖς, rettulerunt Meinekius, Grauertusque p. 138 ad I. 2, quamquam certum aliquem versum indicare supersederunt. Ihnius p. 29, quocum facit Dziatzko, putat collocandum esse in III 4 aut post v. 8 aut post v. 54: Sunt enim, inquit, verba Hegionis, qui iniuriam a pravis hominibus illatam omni modo vindicandam censet. Hactenus ei assentior, quod existimo versiculos illos decere post v. 8, nego post v. 54; nam abhorret a Hegione, viro humili atque demisso, qui magna reverentia prosequitur divites, Micionis familiam *πονηρούς* appellare coram Demea.

Aliquantum differt locus in Sticho v. 198, quocum Fr. Schoell comparat.

Ad II 1. 43

Minume miror, qui insanire occipiunt ex iniuria.

pertinere visum est Ihnio p. 27 Menandri gnome 696

Οἴμοι· τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ.

quod adhuc tamen nemini probavit.

Donatus ib. v. 45 „*Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.*" Menandri versum laudat.

„Secundum illud Menandri ΑΙΓΟΣΤΝ *ποιω* ΝΤΟΙΓΟΡΠΑ ΤΟΤΟΝΓΡωΝΟ ΙΚΕΤΗΝ *λαβων*". His ex litteris docti diverse elicere conati sunt verba, non omnino sensu cassa. [1]) Hermanni coniectura iam ideo parum est probabilis, quod apud Terentium leno narrat ipse quomodo secum actum sit, apud Menandrum secundum H. ab alio haec narrata fuerunt. Benoitii coniecturae obstat, quod apud Ter. soliloquium est, ille diverbium fingit. Duebneri suspicio longissime distat a litteris graecis. Nencinius denique arbitrarie admodum refert versiculum ad v. 44. Itaque tutissimum mihi videtur manus abstinere.

Fragmentum VI, quod fluxit e Menandri Ad.,

Εἰ δ'ἔστιν οὗτος τὴν κόρην διεφθορώς;

a Meinekio collatum est cum III 2. 10, a Valckenario cum III 1. 9, quocum faciunt Grauertus p. 138, Nencinius p. 137 et mihi quoque haec opinio praestare videtur.

Addito fabulae nomine a Stobaeo affertur frgm VII

τί πολλὰ τηρεῖν πολλὰ δεῖ δεδοικότα;

[1]) C. F. Hermannus

εἰκός τοι ποιῶν
ἔτυψ' ἄρ 'αὐτὸν ὡς ἂν οἰκέτην λαβών.

Benoitius

αἰσχρὸν τοῦτό σοι,
τοιχώρυχ', εἰς τὸ γρῶνον οἰκέτην λαβών.

Duebnerus

μάστιγι παίων ἐντ'νως
εὐρώστατον ἀρωγὸν οἰκέτην λαβών.

Nencinius

αὐτὸς δὲ παίων (εὐθέως)
ἀπεῖρξε τοῦτον πρῶτον οἴκοθεν λαβών.

Simul refert scholium ad v. 44.

quod Meinekius Micionis ingenio convenire putat, Ihnius p. 30 unice Getae III. 2. 52. Non probo. Immo, si fragmentum ad scenam illam referendum sit, magis convenire contenderim Sostratae ingenio, omnia audacter moliri paratae, ut filiae opituletur. Equidem comparaverim I 1. 12 aut fortasse IV 1. 12 aut IV 1.; Schoell denique laudat Stichi v. 135.

Fragmentum VIII

Ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
πένητός ἐστιν· οὐδὲ εἷς γὰρ ὁμολογεῖ
αὐτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινός
δεόμενον· αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

ex Menandri Adelphis haustum, secundum Meinekium, Grauertum p. 139, Nencinium p. 138. apte tribuitur Getae, de dominae iussu philosophice ratiocinantis post III 2. 55. Probabile hoc esse mihi videtur, quamquam certe demonstrari nequit, quia locus ipse a Terentio omissus est. Verum in Stichum quoque optime convenit, „diese Worte, inquit Schoell, welche bei Terenz kaum eine oder nur eine ganz aüsserliche deshalb auch verschieden bestimmte Anknüpfung finden konnten berühren eines der wesentlichen Motive des Stichus, in welchem die Brüder nach Vergeudung ihres Vermögens dem Antipho fremd und gleichgültig werden um dann mit Schätzen wieder heimgekehrt, sofort die verwandtschaftlichste Liebe und Zärtlichkeit bei ihm zu finden". Locum autem certum indicare supersedit.

Sine fabulae nomine servavit Stobaeus frgm. IX.

Πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ γὰρ
καὶ πάντας αὐτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.
ὁ γὰρ μετρίως πράττων περισκελέστερον
ἅπαντα τἀνικρὰ, Λαμπρία, φέρει,

quod secundum Cobetum Nov. Lect. p. 72 in duas partes dispescendum est, quarum prior sententiam generalem continet, altera, verba a fabula ignota ducta, certe non ex Adelphis propter Lampriae nomen. Quamquam pro certo affirmari vix potest, forsitan versus duo priores referendi sint ad IV 3. 14/15,

satis similes. Vide Meinekium, Grauertum p. 140, Nencinium p. 128.

Ad IV 5. 59.

Quid? credebas dormienti haec tibi confecturos deos?

Superest scholium in cod. Bembino [1]): „Menandri versus est in illo locoque. . . . γυμνατεραν . . . . ττηλον. habet hunc sensum et Sallustius in sententia C (atoniana) [Cat. 58. 28—30]. Vergilius „a (litur) vitium vivitque t (egendo) dum medicas adhibere manus p a e m d s o p [Georg. 3. 454".]

De his verbis Nencinius ita agit p. 139. „In verbis graecis proverbium agnosco γυμνοτέραν παττάλου (γυμνότερος παττάλου· ἐπὶ τῶν σφόδρα ἀπόρων Diog. I. 2 32 Leutsch); quae vero ante ac post γυμνοτέραν exciderunt, non expedio. Sensus fortasse hic erat: „An credebas dis adiuvantibus aliquando divitem fore, quae pauperrima esset?" C f v. 728—9. Huiusmodi interrogationi commode possis haec subiuncta censere: Θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῖσιν οὐ παρίσταται. Men. gnom. m. 242. Certe admiratio et gaudium adulescentis, ubi demum patris adsensum habet v. 697 sqq., melius explicatur, si Micio quoque paupertatis mentionem, quae quidem sola nuptiis obstare poterat, iniecisse putatur. Timuit fortasse Terentius, ne adulescens Micionis largitatem et liberalitatem satis superque expertus in huiusmodi verbis nimis utpote insolitis, simulationem latere statim sentiret".

Nemo negabit speciosa haec esse; an certa aeque, dubitare possis. Nam si inspicimus locos Vergilii et Sallustii, apparet moneri ibi mortales, ne in periculo otiosi desideant atque auxilium deorum praestolentur, sed ut ipsi potius discrimina

[1]) Haec scholia primum edita sunt ab Umpfenbachio in Hermae vol. II. p. 395. Postea iterum recognovit W. Studemund, Fleck. Ann. vol. 97. p. 547; lectores monet, Umpfenbachium interdum perperam puncta posuisse, quibus indicaret litteram deesse. De hoc vero scholio tacet S., ita ut Umpfenbachius hoc bene descripsisse videatur.

effugere nitantur, suis viribus freti. Quivis videt haec accurate respondere v. 59, supra laudato. Porro disertis verbis scholiasta enuntiat: „habet hunc sensum et S.", unde efficiendum idem fere latere in litteris graecis, nisi per coniecturam prorsus incertam lacunam statuere velis ante „habet". Nencinii argumenta utique levissima sunt. In toto illo colloquio IV. 5 Micio non loquitur de nuptiis ipsis, sed de Aeschini socordia atque incuria. De suo finxit Nencinius puellae paupertatem tantum nuptiis obstare potuisse. Nonne Athenis lege cautum erat, ut is, qui puellam corrupisset liberam, eam uxorem duceret? Denique, quod Nencinius dicit „in huiusmodi verbis nimis utpote insolitis", parum respexisse mihi videtur Micionis largum atque liberale ingenium.

Hisce pensitatis tutissimum mihi visum est scholium intactum relinquere; nam non video, quomodo e litteris graecis sententia elici possit, a latinis non omnino diversa.

Fragmentum XI.

ὀκτώ τις ὑποχεῖν ἀνεβόα καὶ δώδεκα
κυάθους, ἕως κατέσεισε Φιλοτιμοί'μενος.

ab Athenaeo servatum cum fabulae nomine, Grauertus p. 142 ad Aeschini cenam rettulit, commemoratam I. 1., quo nihil incertius. In nostra fabula quoque locus esse potest V. 1. Verum paene certum est, Schoellium recte comparasse Stichi v. 706.

De fragmento XII, cui fabulae nomen additum est,

Κοινὰ τὰ τῶν φίλων,

et fragmento XIII, sine fabulae nomine servato,

Ἐγὼ δ'ἀγροῖκος, ἐργάτης, σκυθρὸς, πικρός,
φειδωλός.

dubitatio nulla oriri potest; pertinet unum ad V 3. 17, alterum ad V 4. 12.

Fragmento denique XIV, quod ex Adelphis fluxisse dicitur,

Θεός ἐστι τοῖς χρηστοῖς ἀεὶ
ὁ νοῦς γάρ, ὡς ἔοικεν, ὦ σοφώτατοι.

in fabula nostra locus nullus est, at convenit in Stichi parasitum soliloquio enarrantem rationes institutaque, quibus vitam regit. Vide Dziatzko Ad. Einl. p. 6. n. 1.

Iam si summam ducimus, videmus e fragmentis, quae Meinekio ad fabulam nostram pertinere visa sunt, quattuor II, III, IX, XIII laudata esse a graecis scriptoribus omisso fabulae titulo, sed Menandri nomine addito; ex his unum XIII sine ulla dubitatione ad hanc fabulam referendum est. Reliqua, quae habent comoediae nomen, tam Adelphis quam Sticho adtribui possunt; ad nostram fabulam probabiliter pertinent VI, VIII, XII. De versibus a Donato adlatis taceo, utpote miserrime corruptis.

Itaque paucissima subsidia suppeditant ad indagandum qua ratione Terentius singula verba singulasque sententias verterit. Comparato frgm. XIII cum textu latino, apparet auxisse Terentium exemplar suum paullulum. Frgm. VI. autem, quamvis breve, ostendit poetam ibi satis presse secutum esse verba graeca. E frgm. XIII nihil certi efficimus, quia locutio proverbialis est in utraque lingua simillima. Frgm. denique VIII nihil nos adiuvat omissis versibus graecis a poeta latino.

Igitur in promptu est confessio in Adelphis saltem iudicium ferri non posse de Terentii cura, libertate aut fidelitate in graecis transferendis adhibita.

DE ANDRIA.

Caput 1.

De mutationibus factis in I 1.

Constat e prologis et e Donati commentario Terentium contaminasse comoedias tres, e quibus Eunuchum certis personis, Adelphos certa et definita scena auxit. In Andria componenda adhibuit quidem aliam Menandri fabulam, Perinthiam, sed ea, quae inde mutuatus sit, certis finibus circumscribere difficile est. Ostenditur hoc prologi vss. 9—16

> Menander fecit Andriam et Perinthiam.
> Qui utramvis recte norit, ambas noverit:
> Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen
> Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
> Quae convenere in Andriam ex Perinthia
> Fatetur transtulisse atque usum pro suis.
> Id isti vituperant factum atque in eo disputant
> Contaminari non decere fabulas.

Si deficeret Donatus, haec verba de contaminationis natura et amplitudine parum nos docerent, cum nimis generaliter loquatur poeta atque ob similitudinem utriusque argumenti rima nonnisi perraro hiet. Felici tamen fortuna duo scholia supersunt.

Prius adscriptum est v. 10: „Prima scena Perinthiae paene iisdem verbis quibus Andria scripta est; cetera dissimilia sunt exceptis duobus locis, altero ad versus XI, altero ad versus XX, qui in utraque fabula positi sunt".

Haec adnotatio ipsa per se facile intelligitur neque explanatione indiget. Possis tantummodo scholiastam reprehen-

dere, quod parum accurate pro *Andriae Andria* posuerit, deinde quod omiserit notare, qui sint loci illi in utraque fabula positi.

Alterum, conflatum e tribus scholiis diversis, legitur ad v. 13: *a* „Apparet, non de industria sed casu esse translata ea, quae de Perinthia in Andriam eodem sensu iisdemque verbis perscripta fuerunt." *b*. „Unam ergo, non duas transtulit". *c*. „Quae apta et commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Graecam fatetur transtulisse. Sed quare se onerat Terentius, cum possit videri de una transtulisse? Sic solvitur: Quia conscius sibi est primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut aput Terentium cum liberto: at in Andria Menandri solus senex est."

Videamus primum de adnotatione *a*. Ex hac frustra sensum aliquem probabilem elicere conatus sum. Num Terentius, *„quae eodem sensu iisdemque verbis perscripta fuerunt,"* transferre potuit e Perinthia in Andriam latinam casu i. e. imprudens, ita ut conscius sibi non esset, quid faceret? Nonne stultum hoc est, hominem ipsum, qui perscribit, fugere, quod mutuatus sit quaedam e fabula alia? Itaque non dubito scholium corruptum iudicare. Levi autem mutatione in integrum restitui potest, transpositis nempe *ea, quae* post *Andriam*. Iam si scholium in hunc modum emendatum conferimus cum prologi vss 13. 14 „Quae convenere in Andriam ex Perinthia Fatetur transtulisse atque usum pro suis," apparet scholiastam interpunxisse post *„convenere"* atque verba illa *quae convenere* interpretatum esse per *quae eodem sensu iisdemque verbis perscripta fuerunt*, quae eadem fuerunt in utraque fabula. Donatus igitur purgat Terentium contaminationis crimine, dum ostendit poetam latinum in vertenda Andria gr. necessario transtulisse Perinthiana quaedam, quandoquidem iam a Menandro loci nonnulli *eodem sensu iisdemque verbis* ex una fabula in alteram perscripti essent.

Auctor *b* concludit e scholio *a*, Terentium Andriae tantum

exemplari usum esse, ignorasse vero Perinthiam. Ille quoque in animo habet defendere poetam latinum contra viros, qui contaminationem ei obiciebant, sed operam perdidit, cum Terentius ipse v. 18—21 contaminationem minime dissimulet.

Sequitur adnotatio *c*, cuius auctor in prima incisione scholiastam *a* reprehendit. Cum ille locutionem *„quae convenere"* interpretatus esset per *quae eodem sensu iisdemque verbis perscripta fuerunt*, hic explicat per *quae apta et commoda fuerunt*, recte sane. Intellectu vero carent verba *non Graecam*, quae adduntur post *in Andriam Latinam*. Aut expungenda sunt ut glossema aut cum Ihnio *ex* pro *non* reponendum. Vide p. 11. n. 7.

Reliqui scholii sensus perspicuus est. Offendimur vero sermone putido et inflato et praesertim repugnantia, quae primo obtutu esse videtur inter scholium ad v. 10 et hoc. [1]) Nihilominus res ipsa, a scholiasta *c* narrata, nempe in Andria gr. soliloquium senis fuisse, in Perinthia colloquium

[1]) Ihnius p. 11 scholium *c* ad v. 13 ut spurium repudiat his de causis. Primum negat soliloquium senis in Andria gr. et colloquium eiusdem cum uxore *paene iisdem verbis* conscriptum esse potuisse; deinde stultum esse contendit, quod scholiasta dicit:

„Senex ita cum uxore loquitur (in Perinthia), ut apud Terentium cum liberto". Prior animadversio evanescit, si reputas illud *paene iisdem verbis* non nimis urgendum esse, cum supra iam vidimus Donatum illic non accuratissimum fuisse. Nihil insuper obstat, quominus similitudo illa talis revera fuerit, qualis a scholiasta describitur. Vide p. 75—76. Ne altera quidem molestia pluris est facienda, ut apparet, si diligenter consideras Andriae latinae scenam primam. Vide p.77. Utique ratio est improbanda, quam iniit K. Braunius, ut offensionem, quam sentit Ihnius, elevaret. Vide p. 8. „Verba *ita-ut* non tam *cum uxore* et *cum liberto* opponunt, quam in utraque fabula collocutum, non solum locutum esse (id quod in Andria Menandri fecit) senem efficiunt." Num possunt particulae *ita-ut* tantum significare in utraque fabula, Perinthia et Andria latina, colloquium fuisse? Si „ita" deesset, aliquatenus Braunii opinio stare posset; nunc vero omnino probari nequit. Cf. etiam Nencinium p. 25

eiusdem cum uxore, eiusmodi est, ut a magistello aliquo fingi non potuerit. At non minore fide dignum videtur scholium ad v. 10, quo narratur soliloquium et colloquium paene idem fuisse.

Unde igitur factum, ut in eodem commentario notitiae servatae sint, quae primo obtutu inter se pugnare videantur, quae utique non ab eodem auctore profectae sint? Hoc ita explicaverunt Sabbadinius p. 337 sqq et Hartmannus p. 113, ut statuerent Donatum genuinum auctum et amplificatum esse ab grammaticis aliis, qui usi essent commentariis, quos Donatus neglexisset atque inde repetivissent, quae res a Donato narratas interdum sat feliciter supplent et illustrant. Plerumque tamen additamentis illis lubenter careremus. Manifestum est hoc loco idem accidisse. Auctor scholii ad v. 10, quem Donatum fuisse suspicor, tam ob purum simplicemque sermonem, quam quod scholium illud ceteris praemissum est, satis habuit notare similitudinem in verbis, quae inter scenam primam Perinthiae et Andriae gr. intercedebat. Grammaticus autem alius, qui post eum Terentii commentarios excutiebat, praeterea invenit, in Andria gr. soliloquium fuisse senis, in Perinthia colloquium eiusdem cum uxore, quae res ei merito tanti momenti videbatur, ut Donati commentario insereret.

Etenim si scholium ad v. 10 tantummodo superfuisset, iure rogari poterat, cur Terentius non omnino contaminationem denegasset. E notitia vero a scholiasta *c* servata, manifestum est, non tam facile Terentium illam dissimulare potuisse. Nam etsi credere possumus scholiastae ad v. 10, scenam primam in Andria gr. et in Perinthia simillimam fuisse, tamen discrepantia illa, quod in una comoedia soliloquium, in altera colloquium erat, ab adversariis augeri atque exaggerari poterat.

Iam ut brevi complectar, quae ex scholiis his certo effici possint, constat e scholio *c* Terentium Perinthiae scenam primam, ubi senex cum uxore colloquebatur, praetulisse

Andriae sc. primae, in qua soliloquium senis erat; personam vero colloquentem mutasse et pro matrona libertum inseruisse; deinde e scholio ad v. 10, scenas illas duas inter se simillimas fuisse.

Postqam scholiorum interpretatione fundamentum satis firmum nactus sum, inquiram, quae necessario mutaverit Noster in Perinthia, cum personam colloquentem mutaret, deinde cur tandem Perinthiae I 1 praetulerit Andriae scenae eidem.

Et primum quidem, quae inter se loquuntur Simo et Sosia a v. 28 ad v. 46 (I 1. 1—18), dubium esse non potest, quin Terentio ipsi tribuenda sint, quia demonstrationi inserviunt, cur Sosiam prae ceteris elegerit dominus, cui secreta sua enarraret cuiusque deinde operam ad consilia exequenda usurparet. Quamquam certi aliquid de Perinthia proferri non potest, non absonum videtur, ibi quoque paucis uxoris animum praeparavisse senem ad ea, quae mox dicturus esset. Vide Dziatzko M. R. p. 249. In reliqua scena Sosia perpauca interponit, plerumque hoc uno contentus, ut verbo significet adsensum suum et nonnumquam proverbio domini verba confirmet. Cf. v. 54. Itast; v. 73 Ei, vereor, nequid Andria adportet mali; v. 86 Teneo; v. 103 Quid igitur obstat, quor non fiant? v. 105 o factum bene: Beasti: ei metui a Chryside v. 116 Hem, quid est? v. 119 Bona fortasse, v. 127 Quam timeo, quorsum evadas? v. 137 Quid ais? v. 60 Non iniuria: nam id arbitror Adprime in vita esse utile, ut nequid nimis. v. 67 Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit.

Qui integro animo haec perlegerit, concedet uxori atque liberto aeque apta esse. Quae post v. 137 a Sosia interponuntur, mihi matrem etiam melius decere videntur quam Sosiam,

etsi nequaquam contendo liberto omnino non convenire. Cf. 141—3 Recte putas: Nam si illum obiurges, vitae qui auxilium tulit, Quid facies illi, qui dedit damnum aut malum? v. 149 Non tu ibi gnatum? v. 150 Qui cedo? v. 154 Qui igitur relictus est obiurgandi locus?

Simonis verba ultima a v. 168 et ad libertum et ad uxorem referri possunt. Imprimis illud „adsimules nuptias" matrifamilias optime imperare potuit senex. De verbis „observes filium, Quid agat, quid cum illo consili captet" dubitari potest utrum e Perinthia desumpta sint an a Terentio ipso addita.

Horum si summam ducis, apparet differentiam inter Andriae I 1. et Perinthiam levem fuisse; non esse ergo, cur offensionem capias e scholio *c* ad v. 13, ubi dicitur senex *ita* cum uxore locutus esse, *ut* cum liberto.

Iam oritur quaestio, cur Terentius matronae personam servare noluerit. Hic verum vidisse mihi videtur *Duebnerus* Jahn. Ann. a. 1834 p. 32, causam inde repetens, quod a Romanorum moribus abhorrebat matronam filii facta moresque prorsus ignorare. Probant hoc Ihnius p. 12 et Dziatzko M. R. p. 249 not. 1, qui etiam addit: „Zudem möchte Terenz überhaupt Bedenken tragen, die Mutter der Hauptperson als *πρόσωπον πρωτατικόν* zu verwenden". Spectatores necessario mirari debebant, si Pamphili mater initio fabulae procederet, postea nusquam vestigium eius apparere.

Fr. Kampius aliam proposuit explicationem. Vide p. 7. „Der Grund der Personenaenderung von Seiten des Terenz scheint uns darin zu liegen, dass der roemische Dichter sogar den Sosia, also das *πρόσωπον πρωτατικόν* in Beziehung zur Handlung setzen wollte dadurch, dass Terenz ihn als Aufpasser ueber Davus und Pamphilus von Simo bestellen laesst, ein Auftrag, zu dem eine Frau, besonders eine Mutter, wohl nicht so leicht brauchbar erschienen waere".

Obstat tamen, quominus Kampii sententiae accedam, quod Sosiae partes nullae sunt in reliqua fabula. Observandi enim

munere ipse Simo fungitur. Suspicari adeo possis ob v. 173 „Ita Davom modo timere sensi, ubi nuptias Futuras esse audivit." senem perterrefecisse filii ministrum. Nullum igitur vestigium apperet studii, quod Kampius Terentio adtribuit, Sosiae personam fabulae argumento implicandi.

Videamus nunc, cur in hac fabulae parte Terentius Perinthiam Andriae praetulerit. Effici hoc potest ex comparatione scenae primae Andriae gr. et scenae eiusdem Perinthiae. Itaque cum modo aliquatenus indicaverim, qualis Perinthiae prima scena fuerit, idem faciendum de Andria graeca.

Ut evincitur scholio ad v. 10, supra a me laudato, Andriae gr. scena prima Perinthianae perquam similis erat. Nihil obstat, quominus suspiceris senis soliloquium ibi incepisse a v. 51, praemissis versibus paucis, quibus spectatores edoceret Simo spem bonam, quam de filio haberet, nuper labefactatam esse. V. 51—162 item illic lectos fuisse admodum probabile est: etenim in his versibus narrantur ea, quae spectatorum intererat scire de senis consilio.

Iam si Perinthiae et Andriae gr. scenam primam conferas, non te fugiet, cur Terentius alteram alteri praetulerit. Evitavit soliloquium longissimum, quod in Andria gr. erat et quamquam Perinthiae scena prima non multum actionis quae dicitur habebat, tamen interpositis uxoris sententiis quibusdam, addito fortasse prooemio, quo uxoris animum praeparabat, magis variegata erat et maiorem colloquii speciem praebebat. Favet opinioni meae, quod alibi quoque cernimus Terentium omisisse aut mutasse soliloquia longiora. Cf. pag 1. adn.

Antequam finem imponam disquisitioni huic, etiam agendum de Nencinii opinione. Ille causam, cur Terentius Perinthiae scenam primam imitari maluerit, inde repetit, quod illa multo auctior atque amplior fuisset quam eadem in Andria gr. Repugnat tamen quam vehementissime scholium ad v. 10, quam molestiam facili opera tollit nova et inaudita, paene sophistica explicatione scholii. Vide p. 26: „Verba Donati ea

ratione esse intelligenda arbitror, ut non tota gr. Andriae scena prima paene iisdem verbis, quibus tota prima Perinthiae scripta esse dicatur, sed haec nonnulla etiam habuerit, quae Andriae soliloquio deessent; quae vero Perinthia et Andria communia haberent, ea paene iisdem verbis exarata fuerint". Deinde ex eo, quod dixit scholiasta *Andria* pro *Andriae* in scholio ad v. 10 effecit, „ambigue universeque locutum esse Donatum, quia conscius esset, non totam primam Andriae scenam toti scenae primae Perinthiae, sed aliqua tantum in ea scena respondere, sicut etiam aliis Perinthiae partibus alias Andriae respondisse subinde adfirmat sine loci demonstratione".

Concedo Nencinio v. 1—19 afuisse cum ab Andria gr., tum a Perinthia; non tamen adsentior v. 35—41 item poetae latino tribuendos esse. Contendit enim haec Charini gratia praestructa esse, „siquidem Charinus non erat amicum Pamphilum ea rogaturus, quae in II 2 audet, nisi obsequens adulescentis ingenium probe nosset". Huic argumento nihil tribuo; nam Charinus diu tergiversatur atque dubitat, antequam amorem suum fateri audeat. Tandem rogat Pamphilum, ut nuptias, si futurae sint, paullulum differat. Vide v. 329

Ch. saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscar aliquo, ne videam.

Cui credibile videbitur Terentium ob rem tam levem necessarium duxisse, spectatorum animos tam diu ante praeparare?

Donati porro scholium ad I 1. 37 „Talem esse Pamphilum adiuvat argumentum fabulae simul et Charinum" a Nencinio laudatum, ostendit versiculos hos universo fabulae argumento declarando non minus inservire, quam Charini partibus.

I 1. 40—41 denuo uni Terentio tribuit, quod „matronae orationi absoni sunt; contra serviliter iam inde a puero educatus homo ἠθικῶς fingitur liberale obsequium et adsentationem ridicule consociare". Quidni haec verba Simonis uxori apta esse possunt, si ironice dicta esse putantur?

Praecipuam vero differentiam inter Andriam gr. atque

Perinthiam in eo sitam fuisse statuit Nencinius p. 27 sqq., quod I 1. 42—127 in sola Perinthia legerentur. Haec enim pars, inquit, cum e tota scena sic eminet, ut hac una dissensisse Andria et Perinthia iure dicantur, tum sic ad singula descendit, ut a soliloquio penitus abhorrere videatur". Etiam dicit se nescire p. 28 not. 1., „an haec Perinthiae vestigia sint: Donatus ad. I 1. 28 *Quod plerique omnes*. Eodem modo Graeci πάμπολλα; ad I 1. 93 *ut nil supra*. Ellipsis Terentiana; nam non necesse est subiungere duos versus".

Pergit deinde p. 28: „Atque his Harpocrationis verbis perpensis p. 160: προστάτης· οἱ τῶν μετοίκων Ἀθήνησι προεστηκότες, προστάται ἐκαλοῦντο — μέμνηται καὶ Μένανδρος ἐν ἀρχῇ τῆς Περινθίας haud forsan a vero longe aberres, si in Perinthia senem uxori narrasse conicias eousque se fiduciae processisse, ut filio hortante in tutelam suam se recepturum peregrinam Glycerium promitteret huiusque ideo patronum futurum".

Denique rationes suas concludens p. 29 dicit: „In universum aestimanti, quae singillatim de funere Chrysidis, de Glycerii amore, de sponsione Chremetis filiae in hac scena senex edisserit, eiusmodi videntur esse, ut aut prorsus omitti (ex. g. funeris narratio.) aut paucis absolvi aut suo quidque loco obiter ab aliis personis tangi potuerint; nam Glycerii amor et Philumenae sponsio etiam ceteris nota erant."

Primum, quod dicit narrationem senis tam amplam fusamque fuisse, ut soliloquio aptum non esset, mera coniectura est, nullo fundamento nitens. Eodem iure haereas in Adelphis I 1, ubi Micio solus diu loquitur. At novimus etiam, quantum Euripides, cuius sectator fuit Menander, sibi indulserit in fabularum expositionibus longissimis fingendis.

Ex scholiis, quae opinioni suae favere putat N., prius nihil ad rem; alterum, si integrum est, hoc tantummodo ostendit fuisse, qui post v. 93 aliquid requirerent, quos recte admonet Donatus, ut saepe alibi, „hanc figuram loquendi Terentio

usitatam esse neque quicquam desiderari." Cf. eundem ad v. 149. 790.

Quae ex Harpocrationis scholio effecit, speciosa sunt, sed obiectionibus compluribus obnoxia. Quando hoc promissum dedisset Simo? Viva etiam Chryside puella patrocinio non indigebat; mortua iam consuetudo eius cum Pamphilo continuo patefiebat. Estne porro verisimile Pamphilum tam incautum fuisse, ut intercessione pro Glycerio suspicionem patris moveret? Quae causa denique induxit Terentium, ut haec omitteret?

Non magis mihi probavit, quae in fine dixit. Quomodo funeris narratione carere possumus? Omnino opus erat in utraque fabula edocere spectatores, quare tam Simo, quam socer futurus Chremes bonam existimationem de Pamphili indole amiserint. Quid autem sibi velint verba ultima subobscurum est. Quibus nota erant „Glycerii amor" et „Philumenae sponsio?" Certe non spectatoribus. Si Nencinio credimus, haec „suo quidque loco ab aliis personis tangi potuisse," sequitur in sequentibus quoque non ita raro Andriae exemplar deseruisse Terentium, cuius rei vestigia nulla suppeditant in Donati commentario.

Recte vero dicit p. 28: „Summam orationis senis versibus 128—44 inclusae, in utraque graeca profecto fuisse et iisdem paene verbis exaratam: cum enim simile utriusque esset argumentum, debuit in utraque ratio significari, qua senex filium explorare instituisset." Quo magis mirari par est Nencinium ea, quae praecedunt v. 128-144 quaeque non minus necessarium erat audire spectatores, ab Andria gr. abiudicasse.

In universum etiam contra suspiciones tales monendum est, poetam non tantum praemittere prologum, ut facta nude et quam brevissime narret, sed etiam ut mores indolesque cognoscantur eorum, quos mox in scenam producturus est.

Caput 2.

De Charini Byrriaeque partibus aliunde insertis.

Initio actus secundi (secundum Fleck. tertii) primum in scenam procedit Charinus cum servo Byrria; impense amat Philumenam Pamphilo amico uxori destinatam atque nuntio nuptiarum futurarum exterritus deliberat cum ministro, quid sibi faciendum sit ad hanc calamitatem avertendam. Huic loco, II 1. 1., addidit scholiasta adnotationes duas: „In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulae: siquidem Andria ex duorum adolescentium pavoribus gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comoedia adolescentis effecerit." Ib. „Has personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον (v. l. ἀποθέατον) [1] fieret Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente."

[1] De genuina lectione verborum ultimorum dubitant docti. Codex Parisinus habet: „ΝΕΟΠΙΘΕΑΤΟΝ fieret Philumenam spretam relinquere sancti sine sponso Pamphilo aliam ducente." Lindenbruchius e litteris graecis elicuit vocem: ἀποθέατον, adspectu iniucundam, quae tamen nusquam legitur. Ceterum, quod ad sensum adtinet, haec coniectura non displicet. Nencinius p. 36 aliter vitium sanare conatus est restituendo: „ne ἀπίθανον fieret (si) Philumenam spretam relinquere — (t scilicet) sine sponso eqs." Scholiis collatis ad And. II. 6. 16, Hec. I. 2. 63, Eun. II. 3. 5. 68 Ad. IV. 5. 20, inquit, ἀπίθανον temptavi, quia mihi videtur Donatus in ἀντιθέτῳ ludere *Philumenam — spretam*. Mihi quidem suspicio Nencinii parum probabilis videtur, quod argumentum ab eo adlegatum levissimum est et quod ἀπίθανον satis longe recedit a ductu litterarum in codice. Lectio vulgata τραγικώτερον est. Diiudicare non ausim, utrum haec sit corruptela, an explicatio altera, quae olim extabat iuxta ἀποθέατον.

Alterum testimonium invenitur ad V 6. 13. *Atque adeo longumst nos illum expectare*". „Quia et audacter et artificiosissime binos amores duorum adolescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est et id extra praescriptum Menandri cuius comoediam transferebat: idcirco aliud in proscenio, aliud post scenam rettulit, ne vel iusto longior fieret (fabula Ritschelius) vel in eandem (eadem Nencinius) propter rerum similitudinem (nuptiae Braunius) cogerentur (cogeretur Nencinius)".

Locis supra laudatis hoc saltem evincitur partes illas duas defuisse Andriae Menandreae; ac si obiter tantum scholiorum verba spectas, etiam inde efficias Terentium, poetam igitur latinum, ipsum de suo finxisse has fabulae partes. Re vero accuratius pensitata annuendum videtur illis [1]) qui negant Terentium auctorem esse, sed adfirmant eum has partes mutuatum esse e Perinthia.

Iam primum crimen paene inauditum fuisset, iuvenem, qui per breve modo tempus ad studia musica adplicaverat se, qui hanc comoediam primam spectatorum iudicio committebat, non tantum contaminasse graecas fabulas, quas magna pietate colere fas ei erat, sed etiam auxisse atque, hominem semibarbarum, emendare atque polire conatum esse. Quantas turbas movisse crederis Luscium, adversarium acerrimum, perpetuo obliquis oculis rimantem, ut Terentium peccantem deprehenderet? Nam qui vitio dabat exemplaria graeca augere partibus ex aliis poetis graecis desumptis, nonne is longe etiam vehementius invectus esset in poetam, sua inventa inserendo depravantem atque torquentem oeconomiam fabularum? Porro, quantum cognovimus hodie totum illud palliatae genus, affirmare licet additiones tales omnino ab-

[1]) Cf. Ihnium p. 9 et 14. Teuffelium p. 281. Braunium p. 10—12, Regelium p. 4. Kampium p. 7. Wagnerum ed. Ter. p. 10 Dziatzkonem. Mus. Vol XXXI p. 249. Könighoffium p. 70.

horruisse ab indole huius generis. [1]) Iam si cui non prorsus incredibile videtur, locupletasse auctorem latinum, quam fabulam vertendam sibi sumpsisset, additamentis propriis, concedo talem audaciam convenire potuisse in Naevium, novatorem sane audacissimum, in Plautum etiam, at nego de Terentio. Quidni Hecyram fabulam, bis explosam exactamque, hac ratione spectatoribus accommodatiorem reddidit? Nonne prologi versus, quo significat auctor, se „quae convenere" transtulisse, fidem facere videtur mutuationem patuisse ultra I 1.?

His argumentis ab Ihnio sociisque adlegatis haec etiam addi possunt.

Si Charini Byrriaeque partes ipsi Terentio adtribuas, nonne expectare fas est, inesse, quae Romanorum tantum mores rationemque vivendi sapiant? At contrarium recte dici potest de scenis illis, ubi Charinus et Byrria procedunt. Omnia graecam vitam graecaque instituta referunt. Agnoscere licet Atticam subtilitatem II 1. 3—8, IV 1 11—14, simul levitatem in II 1. 16—25.

Porro cum accurate Pamphili ingenium consideramus quale in singulis fabulae scenis appareat, animum nostrum advertit discrepantia, quae intercedit inter scenas, sine dubio ex Andria desumptas et eas, in quibus una cum Charino et Byrria in scena versatur.

Ubi primum in scenam procedit Pamphilus, I 5, maxime eius animus aestuat atque perturbatus est Vide e. g. v. 246 sqq.

[1]) Quod Spengelius p. 13 dicit: „So geistesarm dürfen wir uns aber unseren Dichter nicht vorstellen, dass er zwei so unbedeutende Rollen, zu denen er noch dazu, wenn er wollte, in zahlreichen griechischen und lateinischen Komoedien Vorbilder finden konnte, nicht aus eigenem Vermögen habe hinzudichten können.," parvi faciendum est neque quaerendum, an potuerit de suo addere, sed an moris fuerit palliatae auctori additamentis propriis exemplar graeca augere; contrarium autem constat.

Adeon hominem esse invenustum aut infelicem quemquam,
Pro deum atque hominum fidem! [ut ego sum!

Idem observare licet in II 3, ubi vide v. 384 sqq.

Pa. Egon dicam! Da. Quor non? Pa. Numquam faciam. Da.
Pa. Suadere noli. [Ne nega.

Vehemens Pamphili animus quoque optime cernitur in III 5. Vide v. 607 sqq.

Pa. Ubi ille est scelus, qui perdidit me? Da. Perii. Pa. atque
[hoc confiteor iure
Mi obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consili sum:
Servon fortunas meas me commisisse futtili!

Contra multo tranquillior atque placatior est, ubi una cum Charino in scena versatur. Vide in II. 1. v. 321 sqq.

Ch. Hodie uxorem ducis? Pa. Aiunt. Ch. Pamphile,
Si id facis, hodie postremum me vides. Pa, Quid ita?
[Ch. Ei mihi;
Vereor dicere: huic dic quaeso, Byrria. By. Ego dicam.
[Pa. Quid est?
By. Sponsam hic tuam amat. Pa. Ne iste haud mecum sentit.

Quod supra posui, clarius etiam apparet in IV 1, si comparatur cum III 5. Vide v. 641 sqq.

Pa. Charine, et me et te inprudens, nisi quid di respiciunt, perdidi.
Ch. Itane „imprudens?" tandem inventast causa. Solvisti fidem.
Pa. Quid „tandem?"

Manifestum est hinc aliquantum ponderis accedere sententiae meae. Etenim si Terentius has partes de suo finxisset, non e fabula aliena sumpsisset, profecto ita limavisset atque polivisset, ut omni ex parte aptae essent Andriae neu discrepantia repugnantiave ulla esset.

Oeconomiae denique vitium inveni, quod ortum esse debet ex rebus insertis, a fabulae nostrae argumento alienis. V. 336 enim Charinus servum Byrriam ita adloquitur:

At tu hercle haud quicquam mihi
Nisi ea, quae nil opus sunt sciri. fugin hinc?

At v. 412 denuo procedit Byrria hisce verbis:

Erus me relictis rebus iussit Pamphilum
Hodie observare, quid ageret de nuptiis.

Nusquam tamen apparet, quo tempore hoc ei imperaverit dominus. Nonne mirum, si haec omnia a Terentio profecta sunt, eum non operam dedisse, ut fabula bene procederet, saltem ut vitium tale, quod oculos feriat, vitaret?

Primus *Grauertus* has personas ipsi Terentio vindicavit. Vide p. 193. Opinatus est scholia supra laudata luculenter significare Terentium auctorem esse, quamquam minime eum fugiebat, moris fuisse Donato primarii tantum exemplaris in adnotationibus suis rationem habere. Patrocinium eius opinionis susceperunt *Spengelius* Andria Einl. p. 13 sqq, 23, *Meissnerus* Andria Einl. p. 21. et imprimis *Nencinius* p. 32 sqq.

Videamus quomodo hi adversariorum rationes subvertere conati sint. Atque primum perspexerunt opinioni suae parum favere prologi silentium, quam molestiam ita tollere studet Nencinius p. 34: „Lusci silentio equidem non haereo quod, etiamsi Luscius de additamentis Terentianis locutus esset, vitavisset profecto poeta hoc ulcus tangere in prologo, cum probe sciret graecis tantum gaudere spectatores minusque propterea laudis existimaret Donato teste in Ad. praefatione *„propria scribere quam Graeca transferre"*. Fatendum est Nencinium hic longissime a vero aberrasse. Quid? Potuitne iam Terentius adversarii crimina in hac prima fabula silentio praeterire, cum ne in ultima quidem prorsus taceret de illis? Aeqanimiterne passus est Luscii calumnias haerere in Romanorum animis, praesertim de re, ut ipse N. fatetur, maximi momenti?

Negat etiam Nencinius haerendum nobis esse in nimia audacia, qua Terentius praeditus sit, si has partes eum de suo addidisse censeamus? Cf. p. 34: „Nimia, quae profertur Terentii audacia, vagum admodum argumentum est: etenim non minore quispiam iure dixerit Terentium iuvenili quadam

audacia abreptum id ausum esse, quod aetate provectior inque re scenica exercitatior non fuisset facturus, cum praesertim longe absit, quod ad artem spectat, ut personae illae omnibus absolutae numeris iure habeantur. Sed quid, si Donatus ipse ad V 6. 13 indicavit nimia Terentium usum esse audacia?" Primum moneo e Donati scholio nihil effici posse, quia Perinthiam non novit scholiasta: merae argutiae sunt, quas scholiasta de suo finxit. Quod adtinet ad argumentum de audacia Terentii, fateor pari iure de hac re in alterutram partem disputari posse. Potius tamen eo inclinaverim, ut hanc audaciam quam minimam fuisse statuam. Nam cum constet in postremis fabulis audaciae specimina eum rarissima tantum edidisse, temerarium videtur aliter statuere de primis fabulis, quia intervallum inter fabulam primam et postremam breve est. Non licet nobis *loqui de diversis* poetae aetatibus, quia non ultra primam adules centiam vitam produxit. Vide Dziatzko Phorm Einl. p. 23, 24.

Frustra igitur impugnatis Ihnii aliorumque argumentis, [1])

[1]) Iure autem oblocuti sunt Spengelius Nenciniusque Ihnio in quibusdam, quae opinionis suae fulciendae causa adlegat. Nam quod ille p. 14. 5, similitudine, quae extat inter frgm. VII Perinthiae (vide c. 4.) et Andriae II 3. 31—2, inter Andriae II 1. 16 et Eur. Hipp. v. 129 7; inter Andriae II 2. 16 et Eur. Med. v. 86 usus est ut ostenderet Charini Byrriaeque partes fluxisse e Perinthia, parum recte fecisse videtur. Cf. Nenc. p. 35, Spengel p. 13, Dziatzko p. 250. E Perinthiae fragmento hoc tantum tuto efficere licet, ibi quoque senis falsas nuptias adsimulantis dolum detectum esse a callido servo, quod mirum non est propter argumentum utriusque fabulae satis simile. Atqui minime inde sequitur totam hanc scenam, quae necessaria quoque erat in Andria gr., haustam esse e Perinthia. Huc accedit, quod scena illa, II. 2, deficientibus Charini partibus optime stare potest, ita ut, etiamsi concedas eam haustam e Perinthia, non constet Charini quoque partes inde sumptas esse. Loci denique duo, quibus respondent versus Euripidei, tam triti atque generales sunt, ut non appereat haec sumpta esse e Menandro, assiduo Euripidis imitatore.

alterius opinionis fautores haec adduxerunt ultro, ut causam suam firmarent.

Spengelius p. 13 haec habet: „Wahrscheinlich hat Terentius ausser jener ersten Scene des ersten Aktes ueberhaupt nichts oder nur weniges der Perinthia entnommen, wie er auch in den Adelphi nur die eine Scene, die erste des zweiten Aktes aus den Commorientes des Diphilus einschob. Dies wird wenigstens durch das vollständige Schweigen des Donatus ueber weitere Entlehnungen aus der Perinthia mit Ausnahme von I 1. wahrscheinlich gemacht".

Contra haec moneo in scholio ad v. 10 disertis verbis dici: „Prima scena Perinthiae paene iisdem verbis quibus Andria scripta est: cetera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad versus XI, altero ad XX, qui in utraque fabula positi sunt". Quae verba saltem non obstant, quominus putemus in Perinthia fuisse Charini personam, quamquam non demonstrant revera ibi fuisse. Haec hactenus: at Spengelii argumentatio concidit quod nulla causa erat scholiastis, qui conscripserunt adnotationes ad v. 10 et 13, cur agerent de additione Charini Byrriaeque. Prior enim egit de similitudine inter utramque fabulam, de qua sermo est illic in prologo; alter praecedentis notitiam supplevit atque emendavit. Vide p. 74. Adelphorum denique analogia argumentum levissimum est, cum pari iure Eunuchus laudari possit, cui Terentius novas personas aliunde adscitas, inseruit. [1])

Argumenta, quae commemorat *Nencinius* p. 37, pluris facienda sunt. „Tum autem, cur non totam Perinthiam transtulit Terentius

[1]) Quae supra disputavi, item Nencinium refellunt p. 33 contendentem Donati commentario utendum esse ad prologi verba illustranda, verba igitur „quae convenere" unice spectare I. 1. „Non enim, ut Donatus ait, totam scenam, sed ex hac, quae convenere, in rem suam convertit." Putemusne Terentium tam ambigue locutum esse, si partem tantillam mutuatus esset e Perinthia? Spectatores utique illud *„quae convenere"* referebant ad fabulam totam, ita ut Terentius maiore culpa se implicuisset, quam revera in se admiserat.

in qua nihil desideraretur? Hoc Ihnius ita expedit, ut dissimilis Andriae oratio et stilus poetae magis placuerit. Sed si propter aliquot tantum sententias figurasque orationis Ἀνδρία placuisset, Περινθία vero propter argumentum, quis est quin sentiat Terentium hanc non illam translaturum fuisse, ea vero condicione ut quae maiore in Ἀνδρίᾳ locutionis luce niterent, sibi adsciscceret? At contrarium fecit poeta: nam quae convenerunt in A. ex P., non ex P. in A. transtulit. Conspirat cum eis quae disputavimus Terentianus prologus, unde Ἀνδρίαν et Περινθίαν tales fuisse discimus ut, qui utramvis recte nosset, ambas nosset. Quid? Novissetne etiam Charini amorem i. e. alteram fabulae partem (sic Don. ad II. 1. 1. *in hoc altera pars ostenditur fabulae,* de Charini amore dum loquitur), graeca Andria sola perlecta, in qua pars illa non erat? Qui potuit denique poeta dicere ambas non ita dissimili argumento esse, si duplex in una, in altera simplex fuisset argumentum?"

A prima fronte Nencinius videtur adversarios ad incitas redegisse. Etenim si Perinthia ab Andria tantummodo differret Charini Byrriaeque personis, praetermissis discrepantiis quibusdam levibus in sermone, quidni Perinthiam vertebat? Porro si Perinthia haberet partes illas, num tam similis Andriae dici potuit?

Videamus de argumento priore. Unde sibi sumpsit Nencinius orationis stilique discrepantiam tantum sitam fuisse in sententiis figurisque? An credibile cuiquam videtur fabulas duas argumento paene easdem esse potuisse et tantummodo oratione et stilo discrepuisse? Hoc nego; nam apud bonum poetam, artis leges callentem, oratio et stilus cum argumento conveniunt atque illi congrua sunt. Cum igitur oratio stilusque in Perinthia aliter sese haberent quam in Andria gr., necessario inde sequitur res in utraque fabula diverse tractatas fuisse, ἦθος denique discrepuisse. Qua de causa Nencinius mihi non persuasit, Terentium Perinthiam versurum fuisse, si fabula illa Charini Byrriaeque personas habuisset.

Alterum argumentum a Nencinio e prologo petitum est, ubi poeta v. 9—12 dicit:

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramvis recte norit, ambas noverit:
Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.

Nego vero prologi verba tam fida esse, ut de eorum auctoritate dubitare nefas sit. Causam hic orat poeta ideoque cavendum, ne omnia ei credas. Non fingit, sed haec auget, illa minuit, haec amplificat, illa elevat. Videte mihi, quam callide agat Terentius. Non dicit simpliciter: „si unam noris, alteram noris;" sed si *recte* noris, si accurate noris, tunc etiam alteram noveris. Non minore prudentia sequentia enuntiata sunt. „Non ita dissimili sunt argumento", inquit; itaque aliquid utique intererat. Pergit „sed tamen Dissimili oratione sunt factae ac stilo". Hisce verbis superiora quadamtenus retractat, nam mirum profecto in fabulis ceteroquin iisdem orationem et stilum differe. Minime mihi in animo est mendacii crimen Terentio imputare; tantum moneo eum res ita proposuisse, ut speciem haberent ipsi quam maxime secundam. Operam dat hoc loco, ut contaminationem excuset: quomodo autem hoc melius fieri poterat, quam si ostenderet fabulam utramque simillimam esse? Vitium enim contaminationis praecipuum est, quod aliena inseruntur, quae fabulae primariae oeconomiam turbent.

Idcirco mihi persuasum est prologi verba non impedire, quominus statuamus Charini Byrriaeque partes desumptas esse e Perinthia.

Ut iam summam faciam eorum, quae supra disputavi, argumenta, quae Charini Byrriaeque personas Perinthiae adtribuere cogunt, plura sunt et firma; contra, quae Terentio ipsi adscribere suadent, partim dubia, partim falsa sunt. Quocirca non dubitavi Ihnio adstipulari.

Diligentiae causa etiam commemorabo C. M. Franckeni

sententiam prolatam Mnem. Nov. Ser. Vol. IV (ann 1876) p. 148—9., qui persuasum sibi habet in Menandri Andria iam fuisse Charini Byrriaeque partes, hac praesertim causa inductus, quod argumentum ei nimis leve atque exile videtur demptis partibus illis. Ipse videris an hoc sufficiat, ut scholiis fidem omnino denegemus, nam quomodo haec opinio stare potest, cum luculenter significet scholiasta locis pluribus defuisse Charinum Byrriamque exemplari graeco?

Postquam in superioribus enucleare conatus sum, utrum Menandro an ipsi Terentio Charini Byrriaeque partes debeantur, nunc inquiram quatenus pateat id, quod qualicunque de causa desumpsit e fabula altera poeta latinus.

Hic vero necesse est, ut paucis agam de ratione quae inter Perinthiam et Andriam gr. intercesserit; etenim si comoediae duae tam similes inter se fuerunt, ut altera alterius retractatio esset, aucta tantum Charini Byrriaeque partibus, nihil referret quod ad res, non quod ad orationem et stilum, ex utra fabula desumeret poeta scenam aliquam. Nihil igitur obstaret, quominus scenas omnes, in quibus Charinus Byrriaque aliquid interponunt, Perinthiae adscriberes, quod fecerunt Ihnius p. 5, Braunius p. 9 sqq. Contra si persuasum tibi habes, plus interfuisse, eo adducaris, ut statuas deberi scenas illas, ubi Charini Byrriaeve partes momenti minoris sunt aut eximi possunt, II 2, IV 2, V 5. 6, partim Perinthiae partim Menandri Andriae, cui inseruerit poeta latinus aliena. Huic autem opinioni favet quod ingenium Pamphili, quale apparet in scenis, sine dubio e Menandri Andria haustis, diversum est ab eo, quod prae se fert in scenis Perinthianis. Vide p. 83. Praeterea II 1 nimis abrupte exorditur, quam ut verisimile sit, quae in Perinthia hanc scenam praecesserint, eadem fuisse atque ea, quae in Andria praemittuntur. At si

Perinthia eadem esset, quae Andria, aucta tantum Charini Byrriaeque partibus, manifestum est has molestias exsistere non potuisse. Tutissimum igitur mihi visum est in singulis scenis indagare, utrum haustae essent ex Andria an ex Perinthia. Vide etiam c. 4.

Ad propositum iam transeo. Primum Charinus Byrriaque prodeunt II 1 (secundum Fleckeisenum III. 1.) v. 301; quae scena sine dubio e Perinthia fluxit, cum sine partibus illis nulla sit. Incertum vero mihi videtur, an in Menandri Andria h. l. fuerit Pamphili soliloquium, infortunium suum querentis, quae Dziatzkonis sententia est, cf p. 244, 253. Nam satis iam questus est I 5. 6—32.

Incipit nova scena a v. 338, Davo a Chremetis aedibus redeunte, ut Pamphilum omni metu de nuptiis liberet; in hac colloquuntur tres personae, postquam Byrria a domino dimissus est II. 1. 36. [1])

Iam oritur quaestio, utrum II 2 tota e Perinthia fluxerit an ea tantum, quae interponuntur a Charino. Causae, cur Andriae tribuas, duae imprimis sunt. Etenim vix est quod dicam, scenam hanc aut simillimam certe non defuisse in Menandri Andria. Ea, quae aguntur II 2, artissime coniuncta sunt cum II 4, quam ob fragmentum a Donato ad v. 2 (405) laudatum, ex Andria gr. haustam esse constat. Vide Dziatzko p. 244. Praeterea, quae Charinus loquitur, II 2. 3, 5, 10, 13, 26, exilia sane sunt atque ita comparata, ut etiam sine iis scena facile stare posset. Neque vss. 370—4 quicquam continent, quod multum faciat ad Andriae argumentum. Contra rationes graves non deficiunt, quae suadent, ut Perinthiae II 2. tribuamus. Nam e Perinthiae fragmento VI, ad II 2. 32 pertinenti, evincitur ibi quoque senis cuiusdam

[1]) Dziatzko p. 245 not. 1. notavit causam esse nullam cur dimittatur: „vermuthlich, ne quarta loqui persona laboret. Es war für Terenz schwer genug, in III. 2. den Charinus neben den beiden Hauptpersonen in geeigneter Weise zu Worte kommen zu lassen".

fraudem, a servo callido compertam, narratam fuisse. Scena talis, ut II 2, non defuit igitur in Perinthia. Pluris etiam faciendum est, quod causa apparet nulla, cur Terentius in hac scena Charinum produxisset. Deinde lectores respicere iubeo v. 20 (457) „forte ibi huius video Byrriam": at in Andria gr. ne extabat quidem Byrria neque erat opus eius nomen hic addere. Res vero propemodum conficitur scenae versibus postremis, quibus Davus monet iuvenem, ut „senis amicos oret, ambiat". Respondet ille v. 36 (373).

Bene mones:

Ibo, etsi hercle saepe iam me spes haec frustratast. vale.

Nego haec convenire Andriae latinae. Primum non video eum revera senis amicos orasse, ambiisse. Cuinam porro verisimile, nedum credibile videbitur, in sermonibus patrum, Simonis Chremetisque, nusquam mentionem fieri Charini, iuvenis frugalis atque modesti, virgine pudica dignioris utique, quam Pamphilus erat? Credemusne Chremetem, cum certo comperisset Pamphilum meretricem amare, precibus Simonis perductum, iterum nuptiis adsensum fuisse iam a se repudiatis, cum gener bonus sibi paratus esset?

Quibus pensitatis statuendum mihi videtur, II 2. quoque e Perinthia fluxisse. [1])

Denuo procedit Byrria II 5. 1, ubi adnotat Donatus „Ad hoc venit Byrria, ut in errorem conciliet Charinum et in hac scena quatuor personae sine implicatione intellectus loquuntur." Dubitatio nulla oriri potest, quin haec scena fuerit in Andria Menandri, cum artissime coniuncta sit cum II 4, Menandrea. Vide Dziatzko p. 245, Nencinium p. 39, Grauertum p. 194. Diiudicari autem vix potest, utrum Terentius ipse haec verba

[1]) Grauertus p. 194 et Nencinius p. 39, uterque Charini Byrriaeque partes Terentio tribuens, opinantur inseruisse poetam exemplari gr. ea, quae loquitur Charinus; nam iis quoque persuasum est, hanc scenam, II. 2, necessariam fuisse Andriae gr.; parum autem probabile Terentium de suo finxisse scenam totam novam.

finxerit an legerentur iam in Perinthia simili loco. Hoc tantum constat, in illa item fabula Charinum spe, quam in amici fide posuerat, frustratum esse. Nam IV 1. Charinus comperta amici fraude desperans, prorumpit in querelam de hominum pravitate atque perfidia.

Scena illa, IV 1, (625—681) e Perinthia accessit: siquis vero coniciat extremam partem, IV 1. 45—57 (670—682), ubi Charinus nihil loquitur, petitam esse ex Andria Menandri, non obloquor. Nam bene sese excipiunt III 5. 18 (624) et IV 1. 75 (669).

Non accedo *Dziatzkoni*, qui p. 253 h. l. in Andria gr. soliloquium fuisse putat. „Sowohl III. 1. (vulgo II. 1.) als IV. 1., vor dem Eingreifen des listigen Davos und nach dem unglücklichen Ausgang seines ersten Versuches der Sache des jungen Herrn eine günstige Wendung zu geben, ist die Handlung in ein gewisses Stocken gerathen; nur für die Gefühlsausbrüche des verzweifelnden Pamphilus ist Platz da. Dass in der Andria des Menander an diesen Stellen ausgedehnte lyrische Partien — in Euripideischer, nur der Comoedie angepasster Manier, sich befanden, scheint mir ziemlich sicher."

Parum liquet, cur Pamphilus Davusque domum intravissent in Andria gr. atque continuo primum Pamphilus, deinde Davus progressus esset. Praeterea iam questus est Pamphilus infortunium suum III 5. 1—5, quamvis breviter. Iam si iungas v. 624 cum v. 669, omnia bene procedunt neque quicquam desideratur. Vide etiam Fabia p. 215.

Cum igitur accesserit IV 1. maiorem partem e Perinthia, idemne statuendum de IV 2? Scena IV. 3, quae sequitur, sine dubio ex Andria est ob fragmentum a Donato ad v. 11 (726) adlatum. E v. 721 autem sequitur, etiam ante in scena fuisse Davum atque domum Glycerii intrasse. Porro necessarium est indicatum fuisse, Pamphilum quoque Glycerii aedes iniisse propter ea, quae initio V 3 leguntur; quod fit IV 2. 25 verbis Pamphili „Ego hanc visam". Vide Dziatzko p. 246.

„Davos muss um aus dem Hause der Glycerium den neugeborenen Knaben holen zu können, schon vorher auf der Bühne gewesen sein und muss auch, um die Zuschauer nicht zu sehr zu überraschen, vorher bereits (sicher in Gespräch mit Pamphilus) seinen Entschluss kundgegeben haben, dem Plane der beiden Alten entgegenzuwirken. Es liegt somit die Annahme nahe, dass Davos und sein junger Herr unmittelbar zuvor (sc 1 und 2) bereits auf der Bühne waren."

His probabile fit aut IV 2 ipsam ex Andria gr. haustam esse aut ibi paene eandem scenam fuisse. Illa vero opinio praeferenda mihi videtur: nam quae Charinus hic loquitur, facile eximi possunt. Vss 8, 19 duobus tribusve verbis dolorem suum exprimere satis habet neque quemquam adloquitur; in fine a Davo irridetur, cum postulat, ut ille uxorem sibi conciliet cf. v. 25—30. Poeta autem iuvenem hic induxisse videtur, ut Davum, novas fallacias promittentem auscultaret, quo dolor anxietasque eius minueretur; nam sic desperantem, ut IV 1. videmus, Charinum dimittere molestum erat; simul ad adventum eius in fabulae fine spectatorum animos praeparare volebat.

Charinus V 5 tertium adest, ut sciscitetur, quo evaserit Davi dolus. Commode tunc gaudio exsultans domo exit Pamphilus, ut palam felicitatem suam proloquatur; in proscenio conspicatur Davum, modo a Simone vinculis solutum. Enarrat servo fideli, quae facta sunt, dum simul Charinus haec clam exaudit. Cum ille intelligat, omnia bene sese habere, amicum rogat aditque, ut se quoque in secundis respiciat. Una Glycerii domum intrant, ubi Chremes est, quem rogaturus est Pamphilus, ut amico filiam uxori det.

Quivis videt, absque Charino esset, fabulam optime finiri posse post V 5, postquam Pamphilus spe potitus est Simoque iam promisit, se Davum liberaturum esse. Quae sequuntur, nihil novi continent additaque esse videntur Charini causa. Vide Donatum ad V 6. 5 „Haec ita narrantur Davo, ut eadem opera etiam Charinus audiat." V 6. 6 „Haec omnia, ut dixi-

mus, propter Charinum dicuntur, ut audiat." Verisimile admodum est has scenas defuisse in exemplari primario. Vide Dziatzko p. 247. „Absolut nothwendig ist für Menander diese Scene keineswegs. Die Verlobung des Pamphilus mit Glycerium hat unter allseitigem Einverständniss stattgefunden, die neue Braut soll heimgeführt werden, Davus ist begnadigt. Es konnte daher Menander, welcher in seiner Andria nicht noch für den Charinus zu sorgen hatte, sehr gut sein Stück am Ende von V 4. mit einigen Versen des freudig gestimmten Pamphilus schliessen".

Iam oritur quaestio, utrum scenas duas ultimas Terentio debeamus an Menandri Perinthiae. Suspicari possis e II 2 35, Charinum in Perinthia bene notum fuisse Chremeti, in universum partes eius aliquanto maioris momenti fuisse ad comoediae argumentum. At si hoc verum est, sequatur inde necesse est, in catastrophe sortem Charini non pependisse totam e Pamphili arbitrio, ut hic fieri videmus. Quidni ipse Chremetem rogabat, ut filiam sibi uxorem daret, postquam sublata erant, quae ante his nuptiis obstabant? Ita sensim eo adduceris, ut Terentio ipsi adtribuas has scenas.

Quominus tamen hanc ratiocinandi viam ingrediamur, impedimur, quod parum scimus de Perinthiae argumento. Utique vitandum est, ne scholiis ad V 5. 3 et V 6. 13 quicquam tribuas.

Prius — „Hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit. Et hoc est quod dicitur *contaminari non decere fabulas*". — ortum mihi esse videtur e studio, quo tenebatur scholiasta ostentandi doctrinam. Cum similem locum invenisse sibi visus esset in Eunucho, suspicatus est, inde mutuatum esse Terentium. At optime fieri potuit, ut hic locus esset in Perinthia, etsi scholiasta ignorat, quippe qui exemplar tantum primarium usurpet. Errat igitur *Nencinius* p. 43—4, cum *Ihnio* obloquatur, qui p. 6 not 3 ita hac de re locutus erat: „talis est illa sententia, ut non semel in Eunucho, sed

sexcenties alias pronuntiatam esse a Menandro arbitrer; quapropter scholiastae vix maiorem fidem tribuendam censeo, quam scholio ad Ad. IV 2. 38, secundum quod Terentius imitatus est Homerum, qui dicit: *caprificum prope Troiana moenia constitutam.*" Nam quod Nencinius dicit, „sit sane ea sententia sexcenties alias a Menandro pronuntiata, at certe non in Perinthia; quod si fuisset, scholiasta non memorasset Eunuchum," verum non est. Praeterea locus in Eunucho III 5. 5, unde fluxisse proverbium Epicureum putat, minime convenit, ut scholiasta insuper errasse censendus sit.

Ex altero scholio, supra p. 82 a me laudato, primo obtutu inferendum videtur, apud Menandrum, i. e. in Perinthia, in scena Chremetem despondisse Charino filiam. Vide Braunium p. 12 sqq. At si reputas, quod iam saepius monui, scholiastam exemplar tantum primarium manibus tenuisse, res ita expedienda videtur, ut statuas virum illum audacter coniecturam proposuisse de ratione, qua Perinthiae finis ipsi compositus esse videretur. Fides igitur nulla ei habenda est.

Quibus pensitatis tutissimum visum est rem intactam relinquere, quamquam maiorem veritatis speciem habet. Perinthianas esse scenas V 5 et 6.

Finibus constitutis, intra quos contaminatio coercenda sit, quaerendum etiam, cur Terentius addiderit has partes.

Atque Donatus quidem ad II 1. 1, si servas lectionem vulgatam τραγικώτερον, significat spectatores nimis miseraturos fuisse Philumenae tristem sortem, si virgo relinqueretur. Hoc scholiastae commentum iure risit Ihnius p. 10 „Vide, quam luculentam rationem exhibeat scholiasta, cur poeta latinus Charinum addiderit, *ne* τραγικώτερον *fieret, Philumenam spretam relinqui.* Itane vero? An forte Pamphilus

quoque additus est, ne Glycerium spreta relinquatur? Luculenta sane ratio et probabilis. Scilicet timore exagitantur spectatores et anxietate de ea virgine, quae neque amare Pamphilum narratur, nec, absque Charino esset, a quoquam amaretur. Scimus autem nunc, Heautontimorumenon, quae ad hunc diem pro comoedia habebatur, revera esse tragoediam, exitus certe τραγικώτερος est, quia Phanocratae filia spreta relinquitur. Hoc quoque novum nunc disci potest, Romanos tam humano et molli animo fuisse, ut quod Graeci aequo animo spectarent, i. e. sperni virginem, quae semel in fabula nominata erat, id latinus poeta crederet esse mitigandum".

Frustra est Teuffelius, cum scholiastae patrocinium suscipit p. 281. „Ohne Charinus hätte das Schicksal der Philumena für das Gerechtigkeitsgefühl etwas Verletzendes; es bliebe im Zuschauer die Empfindung des Mitleides zurück; der Schluss wäre somit kein rein heiterer, wohlthuender". At non nostra interest scire, quid Philumena fiat, sed quid Charino. Vide Fabia p. 210.

Ne altera quidem lectio, *ne* ἀποθέατον (visu iniucundum) *fieret* eqs, magis placet. Nam idem fere significat atque prior, nisi quod verbum illud vim minorem habet.

Mea sententia auctor latinus hoc unice spectavit ut actionem magis variam redderet; quem ut finem assequeretur, personarum numerum augere constituit. Secus tamen cecidit; nam pro eo, ut res maiore spiritu animoque gerantur, plerumque actio tardatur atque impeditur novarum personarum insertione. Universae igitur fabulae additamentum hoc minime profuit. Causam inde repeto, quod revera argumentum fabulae duplex dici non potest; iuxta partes agunt Charinus et Pamphilus, sed alterius fortuna non ab altero pendet neque partes fabulae duae inter se complicatae sunt, ut v. c. in Adelphis; non intextum est additamentum fabulae argumento.

Caput 3.

De exitu altero et tertio.

Non mihi in animo est data opera quaerere, quibus auctoribus hi exitus debeantur aut quo tempore compositi sint. [1]) Hae res alienae sunt ab argumento, quod tractare mihi proposui atque insuper tantis difficultatibus impeditae, ut vix sperare mihi liceat post conamina tot doctorum novi quicquam simulque veri magis simile me inventurum esse. Id solum spectavi in hoc capite, ut quantum possem, eruerem, quae oeconomiam illustrarent.

Nequaquam tamen facere possum quin de hoc breviter agam, an Terentius ipse, cum fabulae eius iterum scenae committerentur, eas auxerit novo diversoque fine. Si hoc verum esse evincitur, quantum proficimus ad cognoscendas perspiciendasque rationes, quibus poeta usus sit in comoediis pangendis!

W. Wagnerus exitum alterum Terentio ipsi debitum esse contendit, cum *Ritschelius* tantummodo negavit, quicumque idoneum usum comicorum haberet, eum posse vel tantillum dubitare, quin in bono et antiquo poeta versaremur; „ut enim nihil sit in istis versibus, quod Terentio Plautove non sit dignum, ita ne uno quidem exemplo ostendi posse, tales umquam versus a posterioris aetatis homine factos esse". Vide Parerga p. 544.

Wagnerus opinionem suam fulcire studet in hunc modum in ed. Cant. p. 303. „Its metre, prosody and language are such as not to preclude the presumption, that Terence himself is the author of this scene. It is not unlikely, that we have

[1]) De his egerunt Ritschl Parerga p. 580 sqq.. Dziatzko Mus. Rhen. Vol. XXI p. 65, Braun p. 13 sqq., Greifeld p. 34 sqq. Fr. Falbrecht. De tertio Andriae exitu, passim.

here the conclusion of the play as it ended on its first performance, while Terence conformed to the popular taste later on by shortening the end, where the audience appeared perhaps not much interested in the final disposal of Charinus. This appears not improbable, when we consider the expression „longumst" v. 977. But subject to the blame of hariolatio as these conjectures are, it is at all events certain, that this second termination of the play is of great antiquity".

Non desunt tamen quae Wagnero adstipulari hac in re vetent. Gravissimum est, quod nonnisi in codicibus deterioris notae [1]) circumfertur hic locus. Cui autem probabile, immo credibile videbitur scenam a poetae ipsius manu profectam, ita delituisse, neque eius rationem habuisse grammaticos, qui tanta cura exemplaria antiqua undique colligerent, ut vera poetae verba enuclearent? Qua audacia denique repudiat Donati testimonium ad V 6. 14? „Hi versus usque ad illum *Gnatam tibi meam Philumenam uxorem* negantur Terentii esse, adeo ut in pluribus exemplaribus bonis non inferantur (leg. inserantur)". Neque Donatus ipse genuinos eos duxit, cum reliqua perpetuo paene commentario explicet, hos versus sine adnotatione praetermittat.

A. Spengelius, qui olim Wagnero assentiebatur, Acad. Monac. a. 1873 p. 620—1, nunc partes eius deseruit, ut efficitur ex Andriae ed. sec. p. 160, putavit opinionem de alterius exitus genuitate firmari eo, quod scena illa omnino non eo modo tradita sit, ut antecedentibus continuari possit; nam non intelligi posse qui factum sit, ut, si quis exitum mutare et propagare vellet, non ita mutaret ut verba uno tenore continuarentur.

Hoc argumentum tantilli pretii mihi videtur, cum in codicibus, ubi alter exitus invenitur, post fabulae finem additus

[1]) Altorfinus, nunc Erlangensis s. XI, Ebnerianus s. X, Marcianus s. XII, Ambrosianus s. XII, Ambrosianus A anno 1408 scriptus.

sit; itaque cum seorsum exitus servaretur neque eo loco, cui destinatus erat, optime fieri potuit, ut versus, illum cum reliquis coniungentes, interciderint. [1])

Iam haec credo sufficiunt, quominus exitum alterum Terentio tribuendum esse censeamus. Quid statuendum de tertio, iam videbimus.

Exitus ille, cuius primus mentionem fecit Frid. Schmidtius, Ueber die Zahl der Schauspieler bei Plautus und Terenz p. 39, a. 1870, diu in codice Erlangensi, in quo solo servatur, delituit atque hisce demum annis a *Fallbrechtio* erutus atque editus est. Vide appendicem.

Ac primum hic quoque exitus in codice Erlangensi non in contextum receptus est, sed in pagina secunda post scholia nonnulla legitur. Praeterea editor Vindobonensis satis multa notavit in sermone huius fragmenti, quae Terentio imputare dubites. Vide p. 29 sqq. Imprimis offendimur v. 13 locutione „complicuit amicitiam"; v. 17 „iam ad nos adduci tuam feci," ubi *facere* cum infinitivo passivi pro iubendi verbo ponitur, quae constructio abhorret a classico scribendi genere; v. 18 „nuptias ingeminamus", quamquam Terentius unice geminandi verbum adhibet. Quae offensiones eiusmodi sunt, ut non a librario, parum rem suam agente, profectae esse possint, sed certum reddant, ne hunc quidem exitum poetae ipsi deberi.

Recognoscamus iam, quae in exitu 2 Andriae oeconomiae illustrandae inservire possint. Primum notabilis est v. 2. (983).

Operam dedi, ne me esse oblitum dicas tuae gnatae alterae.

Sunt qui negent hoc apte dici posse a Pamphilo, quia numquam ne minimum quidem curavit puellam. Vide Greifeld p. 30. Nimis vero anxie haec verba explicant, cum Pamphilus tantum rationem reddere voluerit, cur prae ceteris adiuvet Charinum.

[1]) Plura argumenta, e stili atque sermonis vitiis ducta nimiis quam ut librariis adscribantur, adlata sunt a Dziatzkone Fleck. Ann. Vol. 113. p. 238.

Hoc levius est, sed gravior atque maioris momenti difficultas est, in qua haeserunt docti in v. 5, (986).

Chrem. Non nova istaec mihi condiciost, si voluissem,
[Pamphile.

Quid? Novitne igitur in fabula nostra Chremes Charinum? Cum probe sciret adulescentem modestum, frugalem generum sibi paratum esse, cum comperisset illum, quem ultro filiae virum poposcerat, dissolutum et infidum esse, nihilosecius hunc potius generum sibi adscivit pater, qui filiam suam valde se diligere profiteatur? Estne porro credibile Davum, cum dolos strueret, ut Pamphili nuptias disturbaret, numquam illius aemuli rationem habuisse, quod quantum consiliis eius prodesse potuerit, in aperto est?

Commentum igitur hoc cum Andria, ut nunc se habet, parum convenit nec tamen inde sequitur profectum esse e Perinthia, quam manibus tenuerit huius exitus auctor, quod opinatus est *Braunius* p. 19. „Neque adeo equidem negaverim eum, cum hanc scenam adderet, inspexisse graecam Perinthiam atque ab ea totam scenam repetisse. In Perinthia enim, cum ad Andriam Menander nil nisi Charini partes adderet, talis exitus, in qua etiam Charino nuptiae contingunt, quin fuerit, non dubium mihi videtur. Eamque Perinthiae scenam aut prorsus transtulisse aut certe secutum esse puto eum, qui addidit alterum exitum Andriae Terenti."

Suspicio mera est, fundamento omnino carens, cui insuper vehementissime repugnat, quod hic alter exitus qualicumque modo adsutus est versui alicui ex Andriae catastrophe, ipse per se novam fabulae terminationem non efficit. Iam si damus Braunio, Perinthiae catastrophen aliter institutam fuisse, quam Andriae latinae, quod plane nos ignorare fatendum est, concludendum inde etiam scenam quintam et sextam diversas fuisse, non tantum scenae sextae pannum adsutum esse. Nam verisimile est discrepantiam inter Perinthiam Andriamque magnam partem in eo sitam fuisse, quod illic

Charinus non tam humiliter demisseque ageret, ut eum hic videmus, quod ibi non totus obnoxius erat Pamphilo Davoque eorumque nutus observabat, sed ipse per se aliquid loqui et facere audebat. Vide v. 370—4.

In reliquis, quae longe maximam partem sensu carent, unum inest, quod cur ita ab auctore institutum sit, parum liquet. V. enim 21 (1002) Chremes dicit:

Gnatam tibi meam Philumenam
Uxorem et dotis sex talenta spondeo.

Attamen V 4. 47 alteri filiae decem talentorum dos constituta erat.

Ut summam ducam, totus hic locus sapit hominem, qui in Terentii Andria Charini nuptias in scenam producere cuperet minimeque speciem habet catastrophae comoediae alius, in qua Charini partes aliquantum discrepabant a Terentianis. Nihil igitur hoc additamento proficimus ad oeconomiam fabulae melius perspiciendam.

Fructus, qui capitur ex exitu tertio, non maior est. Auctor solum ante oculos habuit fabulam Terentianam exitumque alterum atque locutionibus inde ductis, paucis de suo additis, composuit versiculos suos. Vide Fallbrecht p. 32 sqq. Iam si homo fuisset poetica facultate praeditus, non abs re esset quaerere, quae vitia in Andriae Terentianae compositione eum advertissent. Nunc vero operam perdis, si ex his ineptiis, insuper minime integre servatis, aliquid excudere cupias. Nihil inest in scenis tribus, e quibus constat, praeter laudationem ineptam Charini a Pamphilo, Davo, denique a Simone, qui idcirco denuo prodit, factam. Itaque non valde esset dolendum, si hic tertius exitus in codice delituisset.

Caput 4.

De fragmentis graecis ad Andriam referendis.

Fragmenta, quae ad hanc fabulam referri possunt, omnia a Donato servata sunt tribus tantum exceptis, de quibus igitur dubitari potest, cui loco adtribuenda sint. Meminimus autem, quantum molestiae haec dubitatio praebuerit in disputatione de Adelphorum fragmentis. Hoc tamen commodum ideo aliquatenus perit, quod Graeca, a Donato tradita, miserrime vulgo corrupta sunt.

Videamus iam de singulis.

Ad I 2. 33, „Si. Inrides? nil me fallis?" Donatus adnotatum habet: „Non te ignoro, non me decipis. Sic Menander *νινῦ καὶ οὐδὲν λέληθάς μ'ἄν*. — Figura *ἑλληνισμὸς* a loco *οὐδέν με λανθάνοις ἄν*". Haec prioribus praefert Meinekius, vide frgm. III, quocum facio; accurate enim respondent latinis. Nencinius p. 38 restituit *νῦν δ'οὐ λέληθας μὴν ἐμέ*: verba iusto magnificentiora atque huic loco parum convenientia.

Quamquam versus, qui admodum similes sunt, non extant, fragmentum I, a Stobaeo sine fabulae nomine servatum,

τὸ δ'ἐρᾶν ἐπίσκοτεῖ
ἅπασιν, ὡς ἔοικε, καὶ τοῖς εὐλόγως
καὶ τοῖς κακῶς ἔχουσι

mihi ad I 3. 13. „Nam inceptiost amentium, haud amantium" proxime accedere videtur, item ut Grauerto p. 179. Nencinius vero p. 29 coniectura prorsus incerta post I 1. 34 positos fuisse versiculos illos putat in Andria gr. Dziatzko denique p. 241 sibi persuasit in III 3 locum aptum inveniri posse. Fieri tamen potest, ut fragmentum omnino non ad hanc

fabulam referendum sit, cum sententiam contineat non ita raram multisque fabulis appositam. Vide Eun. v. 57 sqq, 225 sqq.

Ad II 4. 3. „Venit meditatus alicunde ex solo loco." Donatus Menandri verba laudat:

Εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν
Οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες. (M. IV.)

Auctor latinus igitur in brevius contraxit graeca omisitque philosophorum mentionem, qui mihi significari videntur versu altero.

Sequuntur scholia ad III 1. 15 „Iuno Lucina, fer opem, serva me, obsecro", unde comperimus in exemplari graeco pro Iunone Lucina, diva latina, fuisse Ἄρτεμιν (M. V.) Donatus: „Obstetriciam potestatem Iunoni adtribuit, quamquam Menander illam Dianam appellat". Eugraphius: „Hanc (Iunonem) quidam tamen potius Dianam esse dixerunt: nam ita Menander ipsam vocat, quum dicit Ἄρτεμιν."

Paullo post ad III 2. 3 „Nunc primum fac ista ut lavet" Menandri verba

Λούσατ' αὐτὴν αὐτίκα. (M. VI)

commemorantur a Donato.

Ad eundem locum pertinet sine dubio fragm II

καὶ τεττάρων ᾠῶν μετὰ τοῦτο, φιλτάτη,
τὸ νεοττίον.

a Stobaeo cum fabulae nomine servatum. Omissa vero haec sunt a Terentio, cum minutias tales sperneret.

De verbis graecis a Donato ad III 3. 11 „Ah, ne me obsecra". adlatis dubitant docti, utrum Menandrea sint annon. Scholium ita sese habet: „τῷ ἑλληνισμῷ: μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου." Ultima a Lindenbrochio restituta sunt ex codicis lectione „mnmcor". Suspicari possis scholiastam graecismum notare voluisse; plerumque enim imperativus cum negatione per coniunctivum enuntiatur apud Latinos. Tunc igitur de suo graeca finxisset, ut exemplar assereret. Obstat tamen, credo, quod tunc illud μὴ μάχου supervacaneum

addidisset. Facio igitur cum Ihnio, p. 6. not 1. haec verba Menandro vindicante contra Grauertum p. 182 et Dziatzkonem.

Ad III 4. 13 Da. „Quidnam audio?" Donatus servavit Menandrea: τί δηποτ' ἀκούσω; (M. VIII.)

In scena sequenti ad. v. 5.

„Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito [malum.

Donatus misere corrupta graeca quaedam adnotavit:

ΑΝΘΕΟΣΘΕΤΟ/ΚΑΝΑΣΤΜΠΠΕ

Meinekius (frgm. IX) restituit

Ἐνθένδ' ἀποφυγὼν οὐκ ἄν ἀπολοίμην ποτέ.

Dziatzko

Ἐνθένδε σωθεὶς οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ.

Nencinius

Ἐνθένδ' ἀποσωθεὶς οὐκ ἂν ἀπολοίμην ποτέ.

Haec omnia tam arbitraria sunt, ut vix liceat aliam alii emendationem anteferre.

Ad. IV 3. 11, „Ex ara hinc sume verbenas tibi
Atque eas substerne."

Donatus servavit: ΚΟΛΕΞΙΑΣΖΨΜΨΡΡΨΝΑΣ/ΧΧΗΣΑΤΕ ΙΝΕ. Haec mira diversitate corrigere studuerunt docti:

Bentleius ἀπὸ δεξιᾶς σὺ μυρρίνης κλάδους λαβέ.
Jacobsius ἀΦ'ἑστίας σὺ μυρρίνας δέχου/δύστηνε.
Duebnerus ἀπὸ δ'ἑστίας σὺ μυρρίνας/ἐπὶ γῆς διάτεινε.
Meinekius frgm. X: ἀπὸ Λοξία σὺ μυρρίνας τασδί ὑπότεινε.
Dziatzko ἀπὸ Λοξία σὺ μυρρίναις χρῆσαι, γύναι.

Meinekii coniecturam, quamquam incertam, ceteris praefero, quia proxime accedit ad graeca et Terentiana bene exprimit.

Menandrea sententia (frgm. XIII)

Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

comparari potest cum IV 5. 10.

Ut quimus, aiunt, quando ut volumus non licet.

Non tamen pro certo affirmari potest, quia talis est sententia, ut saepissime inveniri potuerit.

Denique Donatus verba graeca, frgm. XII, servavit ad V 4. 16 „Sic, Crito, est hic". Οὕτως αὐτός ἐστιν.

Operae pretium duco in Andria idem facere, quod supra p. 70 in Adelphis, ubi enucleare conatus sum qua fide Terentius singula vertisset.

Praetermittenda autem censeo frgm I et XIII, quia merito dubitari potest an ad fabulam hanc referri debeant. Quod ad frgm. IX et X adtinet, fatendum est eorum condicionem talem esse, ut certi nihil inde effici possit. Frgm. autem III, VI, VII, VIII, XII, licet brevissima sint, tamen ostendunt auctorem latinum exemplar suum accurate vertisse. Ex fragmentis paullo amplioribus, II et IV, prius totum omissum est a Terentio, alterum in brevius contractum.

E quibus efficiendum videtur Terentium versus singulos plerumque ad verbum expressisse, interdum vero, si quid ei minus placeret, aut omisisse prorsus aut circumcidisse. Confirmat hoc Cicero, de fin. I 2. 4.

Cum supra quaestionem tetigerim de similitudine quae intercesserit inter Perinthiam Andriamque Menandri, consentaneum est, ut fragmenta etiam Perinthiae recognoscam. Etenim si utriusque fabulae paene idem argumentum fuisset, etiam fragmenta Perinthiae quodammodo convenire deberent in Andriam. Cum vero appareat maiori fragmentorum parti certum locum adtribui vix posse, inde etiam ponderis aliquid accedit sententiae, supra p. 90 a me propositae, Andriam et Perinthiam non tam similes inter se fuisse, ut a prima fronte e prologo efficias.

Atque statim fragmentum I

Ὅστις παραλαβὼν δεσπότην ἀπράγμονα
καὶ κοῦφον ἐξαπατᾷ θεράπων, οὐκ οἶδ' ὅ τι
οὗτος μεγαλεῖόν ἐστι διαπεπραγμένος
ἐπαβελτερώτας τόν ποτ' ὄντ' ἀβέλτερον.

admodum incertum, ad quem locum referendum sit. Ipsum per se in nullum Andriae locum convenit. Si vero expleas in hunc modum: „sed quicumque dominum habet versutum atque eum decipit, is laude dignus est," aptum est servo secum glorianti, se herum fefellisse. Illa autem est condicio Davi post II 5 et ante III 4; frustra tamen in illo intervallo spatium quaesivi soliloquio eiusmodi. Quod autem Grauertus putat Davum talia coram domino locutum esse, mihi nequaquam probavit.

Melius res se habet in fragmento II

Οὐπώποτ' ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρόν·
εἰς τὸν ἴσον οἶκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ.

Hi versus unice conveniunt in personam, quae agnovit mortuorum omnium eandem fortunam esse et dicti esse potuerunt tam ab aliquo qui divitem efferri videbat, quam ab homine, qui pauperis vel pauperculae funus spectat comparetque illius sortem cum divitis. Probabile igitur est locum habuisse in funeris narratione circa v. 115 (I. 1. 88). Minime mihi persuasit Nencinius p. 49 dicens: „Mihi porro a Critonis ingenio haec non abhorrere videntur. (cf. IV 5. 3. et 23)".

Quod ad fragmentum III adtinet,

Ὅσ' ἐστὶ μαλακὰ συλλαβών
ἐκ τῆς πόλεως τὸ σύνολον ἐκπήδα, φίλος.

plures scenae indicari possunt, ubi talia convenirent. Grauertus dubitat de I 5 vel III 5, ubi Pamphilus metu nuptiarum exterritus est et de III 4, ubi Davus desperat de salute. Moneo tamen in fabula nostra fugiendi consilii nusquam mentionem fieri, licet fatear condicionem Pamphili Davique in scenis illis talem esse, ut cogitatio illa iis oriri potuerit.

Nullum locum invenire potui, qui fragmento IV

Ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν εἰσι πομπεῖαί τινες
σφέδρα λοίδοροι,

aliquatenus similis sit. Grauertus sine causa ad V 4 refert.

Fragmentum V

Οὐδεμίαν ἡ γραῦς ὅλως
κύλικα παρῆκεν, ἀλλὰ πίνει τὴν κύκλῳ,

dictum est de anu temulenta, qualis Lesbia (I. 4.). Pertinere debet ad narrationem convivii, cui interfuit mulier illa. In Andria autem spatium deest narrationi eiusmodi.

Unum fragmentum VI

Τὸ παιδίον δ'εἰσῆλθεν ἐψητοὺς φέρον

sine dubio certo loco adtribui potest, nempe II 2. 31. Suspicari licet hunc esse ex versibus illis, utrique fabulae communibus, de quibus sermo fit in scholio ad v. 10. Vide supra p. 71.

Fragmentum VIII

Οὐδ' αὐτὸς εἰμι σὺν θεοῖς ὑπόξυλος

a Grauerto et Nencinio refertur ad V 4. Minime vero ibi versus certus indicari potest huic compar.

Ex iis, quae exsecutus sum, evincitur errare illos, qui statuunt praeter Charinum et Byrriam consimilem fuisse Andriam atque Perinthiam. Si quis enim integro animo, non praesumpta opinione de ratione inter Andriam et Perinthiam intercedente, haec fragmenta recognovit atque frustra locum in Andria Terentii iis assignare conatus est, agnoscet discrepantiam comoediae utriusque in rebus non prorsus minutis satis magnam fuisse.

DE OECONOMIAE VITIIS QUIBUSDAM IN ADELPHIS ET ANDRIA.

Quicumque attente Plauti Terentique comoedias perlegit, non ita raro animadvertit aut fabulae chronologiam ad liquidum perduci vix posse aut in rebus ipsis, quae spectatoribus enarrantur, inesse, quae secum pugnent. Ex Plauti fabulis multa exempla collegit P. Langen (Plautinische Studien), in Terentio vero hoc nemodum facere sustinuit, quamquam apud eum quoque accurate quaerentibus satis larga materies non deerit. Hac de causa non abs re erit in fabulis supra dictis indagare, ubi temporis ratio claudicet aut quid reprehendendum sit ceteroquin. Lectorem tamen monitum velim nonnisi admodum raro rem ita comparatam esse, ut spectatores quoque offensionem necessario ceperint.

Nemo erit credo quin concedat in psaltriae raptione, unde Adelphorum fabula tota pendet, inesse quod temporis ratione habita a vero abhorreat. Aeschinus ad cenam abit pridie quam fabula agitur atque vesperi eius diei pater mittit advorsitores, qui domum deducant. Iuvenis vero cum servis non domum paternam repetit, sed convivio in multam noctem producto lenonis aedes adit, fores effringit, psaltriam rapit. Statim rumor percrebrescit et pervenit ad aures Demeae, qui mane a villa in urbem perrexerat; ille rem cum Micione communicat. Iamvero hisce demum omnibus peractis et postquam fratres ad forum digressi sunt, Aeschinus tandem domum revertitur. Num credibile videtur tamdiu, a media fere nocte usque ad tempus id, quo homines forum frequentare incipiant, iuvenem cum puella et comitibus per urbem vagatum esse?

In re simili haesit *Nencinius* p. 138. „Geta autem fingitur suis oculis raptionem vidisse v. 329: quod quidem si etiam in graeca fuisset, non tam sero alacer servus factum erae renuntiasset atque adeo postquam in ore erat omni populo". Unde statim suspicatur discessisse ab exemplari graeco poetam latinum. Ipse viderit, num hoc argumentum satis ponderis habeat. Eodem iure aliquis dicat se offendi v. c. ea re, quod Sostrata per actum secundum non audiverit homines magna vocis contentione ante aedes vicinas altercantes atque conviciantes. Offensio autem levis est, quod Geta non statim facta erae renuntiasse fingitur. Potuitne una cum Aeschino scenam intrare evocatisque mulieribus rem narrare, dum in altera scenae parte Micioni Demea idem faciebat? Dramatis decursus certo eventuum ordini adstrictus est, saepe a temporum veritate abhorrente, quia artis necessitas poetam cogit ut multa, quae revera simul fiunt, deinceps accidisse fingat.

Ctesiphonis item persona habet quaedam, quae censor morosus reprehendere possit. Vesperi pridie domum paternam reliquerat, ut una cum Aeschino convivium celebraret atque deinde fratrem adiuvaret in puella rapienda; decepit senem vigilantissimum, qui tamen „sex totis mensibus prius olfecisset, quam ille quicquam coeperet". (396). Dum Aeschinus raptam ad Micionis aedes deducebat, solus abiit Ctesipho, nimirum in domum paternam, metuens scilicet ne, si una cum Aeschino et psaltria a domo lenonis iter faceret, aliquis in via eum agnosceret patrique denuntiaret. Rem ita sibi proposuisse poetam, hoc confirmat, quod Geta Ctesiphonem non vidit (cf. v. 327 sqq) et quod Ctesipho die proximo, cum suspicari potest, Aeschinum domum rediisse, ad patrui aedes pergit, ut fratri gratias agat.

Contendit *Spengelius* p. 14 hic non constitisse sibi poetam et ex iis, quae loquuntur inter se fratres II 3. apparere Ctesiphonem raptioni non interfuisse. Sed rectissime adseverat Fabia p. 202 e Ctesiphonis verbis, II 3. 1. scenam intrantis,

apparere omnia ei iam nota esse, quae Aeschinus eius gratia peregerat eumque ideo neminem nominare, a quo rem edoctus sit, quia ipse raptioni interfuit.

In eo, quod Demea (v. 355) demum resciscit, Ctesiphonem adiuvisse fratrem, eximiam Menandri artem admiror, qui rem sic instituit, ut Demea fabulae initio rumorem vagum atque incertum tantum audiret, aliquanto post re perquisita comperiret Ctesiphonem fratri opem tulisse, donec tandem V 2 suis oculis videret filium comissantem cum psaltria, atque iuvenem, suis praeceptis perpetuo imbutum, a paterna indole prorsus descivisse et revera facinoris auctorem fuisse intellegeret.

Quae in reliqua fabula oeconomiae vitia inveniuntur, seorsum tractavi c. 4, quia multis gravibusque doctorum coniecturis de mutationibus a Terentio factis originem dederunt.

Pergam iam inquirere, in Andriane quoque tales molestiae deprehendi possint, quales in Adelphis nos morantur.

Atque primum non possum quin mirer Sosiam nihil comperisse de nuptiarum recusatione. Cur ille haec ignorat, cum tamen et Davus (vide v. 177) et Pamphilus (vide v. 241) bene norint?

Item Davi verba v. 175—182

Mirabar, hoc si sic abiret: et eri semper lenitas
Verebar quorsum evaderet:
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo
Numquam quoiquam nostrum verbum fecit neque id aegre tulit.
Id voluit nos sic necopinantis duci falso gaudio,
Sperantis iam amoto metu interea oscitantis opprimi,
Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.

negotia exhibent, si explanare conaris.

Quae dicit Davus v. 177, sine dubio pertinent ad id, quod narratur I 1. 177 sqq. Chremes nempe compererat in Chrysidis funere Pamphili amorem erga Glycerium patefactum

esse et furibundus postridie Simonem adierat, ut negaret se filiam uxorem daturum esse. V. 177 igitur significatur, Simonem audivisse a Chremete, nuptias nullas iam futuras esse propter Pamphili scelus. Manifestum est, vss 180 et 181 hisce repugnare. Quomodo loqui potest Davus de *falso gaudio* et de Simonis consilio opprimendi filium cum servo? Quae nuptiae disturbari poterant? Nam revera nuptiae dissipatae erant, postquam Chremes promissa retractaverat idque non levi offensione permotus, sed quam gravissima. Gaudium Pamphili Davique verum erat neque Simoni facultas suppeditabat „opprimendi adolescentem cum ministris".

Repugnantia inter vss 180—2 et 177 inde orta mihi esse videtur, quod poeta sibi finxit Davo veram causam, cur Chremes sponsalia solvisset, ignotam fuisse. Quod si tenemus, non miramur Davum fidem habuisse sive domino sive Sosiae, cum ei dicerent hodie nuptias futuras esse et auditio nuntio eum in suspicionem incidisse, iam ab initio Simonem dolum animo volvisse. Contra si statuimus Davum nosse, cur matrimonium revera irritum factum esset, minime liquet, quomodo servus callidus passus sit Simonem aut Sosiam sibi nuptiarum simulatarum nuntio imponere.

Altera molestia inest in Glycerii persona, de qua Mysis dicit v. 269:

ex hoc misera sollicitast, diem
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptitae.

Nempe cum Pamphilo notum esset nuptias nullas iam esse (vide v. 241 sqq), nonne paene certum, eum laetum nuntium statim adtulisse amicae?

Admirationem quoque movet, quod Davus, qui v. 227 ad forum proficiscitur, ut conveniat Pamphilum, ne pater imprudentem opprimat, filium erilem nusquam invenire potuit. At pater v. 205 eodem discesserat statimque filium conspexerat. Primo obtutu necessarium tibi paene videtur Davum, v. 227 abeuntem ad forum, occurrisse Pamphilo, v. 234 inde redeunti.

Oeconomia tamen id fieri vetabat, quod alioquin probabile erat.

Supra p. 84 iam breviter tetigi, quae molestia insit in Byrriae praesentia v. 412. Nam v. 336 abigitur a domino, qui ipse v. 374 abit ut Chremetis amicos oret, ambiat. Subobscurum, quando dominus ei imperare potuerit, ut Pamphilum observaret. Gravius etiam, quod Byrriae soliloquium aptum non est v. 425. Quivis videt continuo sese excipere v. 424.

Si. I nunciam intro, ne in mora, quom opus sit, sies.
Pa. Eo.

et v. 432.

Da. Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare et ea me hic restitisse gratia.

Dubium esse non potest, quin haec orta sint e contaminatione. In Perinthia enim inter II 1. et 5, scenam fuisse, in qua Charinus ministro illud imperaret, verisimile est.

Temporis ratio claudicat in III 1, ubi Lesbia obstetrix v. 467 Glycerii domum intrat atque v. 481 officio perfuncta iam abit. Fabulae vero oeconomia intervallum tam breve esse propemodum postulat, ut Lesbia verbis suis ansam praebeat Simonis coniecturis atque suspicionibus.

Item oeconomiae causa factum est, ut V 1 demum Simo Chremetem edoceat de puero suppositicio, quod multo melius fecisset III 3, quo tempore muliercularum insidias iam optime sibi perspexisse videretur. Etenim si illo argumento tunc usus esset, longe facilius persuasisset Chremeti, inimicitias esse inter filium et amicam. Vide v. 550 sqq. Tum vero locus esset nullus Davi dolo in IV 4.

Ut rationes meas concludam, puto ex iis, quae disserui, evinci in his fabulis compluria inesse, quae si accurate consideras, hiulca et parum recte instituta esse videntur. Orta esse possunt tam e poetae negligentia, quam ex eo, quod rerum decursus in fabula talia evitare non sinit. Mea quidem sententia dubitari vix potest, quin huic causae longe maior pars adtribuenda

sit eorum, quae in oeconomia reprehensione digna sunt. Nam cum in angusto temporis spatio multa fieri debeant, quae revera eodem temporis momento fieri nequeunt, peccatur in chronologia. Porro cum poeta personas suas id agentes atque ea consilia capientes faciat, quae certo fabulae loco aptissima sunt, inde quoque discrepantiae repugnantiaeque oriunter.

Itaque longissime a vero aberrant ii, qui ex offensionibus talibus efficiunt, Terentium illic mutasse atque adeo depravasse exemplar gr. Vitia enim id generis necessario oriuntur e postulationibus rei scenicae ideoque nulla causa est, cur nobis persuadeamus Menandrum atque reliquos poetas graecos talibus vacavisse neque obnoxios fuisse legibus universis, quibus omnes poetae scenici parere debeant.

APPENDIX.

TERTIUS ANDRIAE EXITUS.

CHARINUS, PAMPHILUS, DAVUS.

Ch. Te expectabam. *Pa.* Quasi deorum inveni voluptatem.
Ch. Et me in portum . . . .
Pa. O fortuna, quae mihi prospera evenit! *Ch:* Deducere
Memento. *Pa.* Tu, Dave, i domum paraque: nuptam convenit
Iam educere. *Ch.* Et de me . . . *Dav.* Quid moraris tu?
Ch. Curare oportet.
Socerum expecto . . . . *Dav.* Faucibus me urget! — Adest!
Ch. Adiunctum affinitate.

CHARINUS, PAMPHILUS, DAVUS, CHREMES.

Pa. O mi Chremes, vellem . . . *Chr.* Quid vis? *Pa* Tibi
[dicere,
Quod rem in tuam est. *Chr.* Quid istuc? Audio. *Pa.* Alterae
Tuae gnatae inveni . . . *Chr.* Quidquid est, quasi necligis,
Quod instat? *Pa.* Dignum te atque illa virum. *Dav.* Probus
Et quantivis hic est preti. *Chr.* Quis ille? *Dav.* Adest,
Charinus! Nulli nostrae qui viciniae
Iuvenum secundus. *Chr.* Nec nostra a notitia is est
Alienus. *Pa.* Et mecum a puero complicuit, Chremes,
Amicitiam. *Chr.* Ne remoram facias ad alia!
Pa. Tua affinitate sua virtus est dignissima.
Chr. Assentior. *Dav.* Tu sapiens uti non paras

CHARINUS, PAMPHILUS, DAVUS, CHREMES, SIMO.

Consilio? — ah Simo! *Si.* Iam ad nos adduci tuam [feci, Chremes.
Chr. Quid est quod, quae instant, necligis? *Si.* Quid?
Chr. Nuptias ingeminamus. *Si.* Cui
Alteras? *Pa.* Cui optime conveniunt. *Si.* Cui tandem?
Chr. Huic, puto.
Si. Me hercle, optimo iuveni! *Chr.* Et quod de hoc probes, multum gaudeo. *Si.* Probus est
Certe. *Chr.* Ut nostra familia iam conglutinetur undique?
Pa. Ut des! *Chr.* Omnia ita sint! *Pa.* Et nunc ut mecum [ei sint nuptiae,
Tu, Dave, utrobique meditator, cura . . . *Dav.* Pro infortunio
Gaudium accipio duplex. . . .

THESES.

Aces fluvius, de quo sermo fit apud Herodotum III 117, is est, qui hodie Ac — Darja appellatur. Cf. E. MARKOF, Russk. Weestnik 1894 I p. 41.

II.

Res, quae a Tacito narrantur Ann. XIII c. 36—41, pertinent ad temporis spatium duorum annorum, qui sunt anni 58 et 59 post Chr.

III.

Plebs, cum secessionem a. 449 faceret, decemvirorum dominationem evertere conata est.

IV.

O. SEECK Mus. Rhen. Vol. 56 p. 227 iniuria contendit Taciti Annales et Historias unum opus efficere.

V.

Causae itinerum, quae Aeschylus in Siciliam suscepit, a scriptoribus graecis prolatae parum probabiles sunt.

VI.

Sophocles mortuus esse videtur Ol. 93. 2.

VII.

R. Braitenberg, Die historischen Anspielungen in den Tragoedien von Sophocles, p. 24 minus recte statuit in Oed. Col. v. 702 intelligi Archidamum et Pleistoanactem, Spartae reges.

VIII.

Fr. Mosimann, In wieweit hat Euripides in den Hiketiden, der Andromache und den Troerinnen auf politische Konstellationen seiner Zeit angespielt? p. 73 perperam statuit in Troadibus sub Ulixis persona Alcibiadem traduci.

IX.

Eur. fragm. 300 (Dindorf).

οὐκ ἂν γένοιτο τρᾶυμα, εἴ τις ἐνξύσῃ
Θάμνοις ἐλείοις, οὐδ' ἂν ἐκ μητρὸς κακῆς
ἐσϑλοὶ γένοιντο παῖδες εἰς ἀλκὴν δορός.

Legendum

οὐκ ἂν γένοιντο στᾶυροι, εἴ τις ἐγξύσαι
Θάμνους ἐλείους e. q. s.

X.

Thuk. VII 48. 6. τρίβειν οὖν ἔΦη χρῆναι προσκαϑημένους καὶ μὴ χρήμασιν ὡς πολὺ κρείσσους εἰσί, νικηϑέντας ἀπιέναι.

Pro ὡς legendum οἷς.

XI.

Donati scholium ad Hec. V 3. 27. „Brevitati consulit Terentius, nam in Graeca haec aguntur, non narrantur", ita explicandum videtur, ut in fabula graeca post V 2. scena interposita fuerit, a Terentio omissa.

XII.

Perperam Nencini l. c. p. 69 sqq. contendit, in Heautontimorumeno graeca alteram fabulae partem, Clitiphonis nempe amorem, magna ex parte narratam fuisse, non in scena actitatam.

XIII.

In Terentii Andria v. 434.

Si. Quid Davus narrat? Da. *Aeque* quicquam [nunc quidem.

legendum: *Aequi*.

XIV.

In Terentii Andria v. 998.

Pa. Quom ad eum te adplicaveris,
Studium exinde ut erit, tute *existimaveris.*

malim: *existimaberis.*

XV.

Cic. de Orat. III 13. 48. Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit et subtilior cognitio ac ratio litterarum alit *aut* consuetudo sermonis cotidiani ac domestici, libri confirmant et lectio veterum oratorum et poetarum.

Pro *aut* legendum est *auget.*

XVI.

Cic. de Orat. III 48. 184. Liberior est oratio et plane, ut dicitur, sic est vere soluta, non ut *fugiat* tamen aut erret, sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur.

Malim: *fluat.*

XVII.

Quint. II. 18. 1. Cum sint autem artium aliae positae in inspectione —; aliae in agendo, quarum in hoc finis est *et* ipso actu perficitur nihilque post actum operis relinquit e. q. s.

Legendum censeo *quod.*

XVIII.

Petronius Sat. c. 117. Et ne quid scaenae deesset, quotienscumque aliquem nostrum vocare *tentasset*, alium pro alio vocaret e. q. s.

Legendum est: *intentaret.*

XIX.

Petronius Sat. c. 101. Sed finge navem ab *ingenti* posse cursu deflecti e. q. s.

Legendum est: *intento.*

XX.

Petronius Sat. c. 102. Quid enim attinet innocentem alieno periculo *imponere?*

Legendum videtur: *implectere.*

XXI.

Anaximandri ἄπειρον quod dicitur, non ex elementis definitis in unum coniunctis constat, sed δυνάμει res continet.

XXII.

Assentiendum est Reichelio, in Iliade tantum usurpari galeas, quae dicuntur Mycenenses.